



## Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

## Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.


## Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>

NATIONALBIBLIOTHEK  
IN WIEN

119630-B

ALT-







# JUS NATURÆ HETERODOXORUM

NEC DEO,  
NEC REIPUBLICÆ,  
NEC HOMINI SUUM TRIBUENS.

ORATIO HABITA.

A JOANNE PAULO SUTOR,

J. U. D. SACR. ROM. IMP. PRINC. ET EPISC. EYSTETT.  
CONSIL. INTIM. ET IN ALMA CATHOLICA AC ELECTORALI UNI-  
VERSITATE INGOLSTADIENSI PROFESS. P. ET O.

IN ACTU SOLENNI,

QUO DUOBUS JURIS UTRISQUE LICENTIATIS  
PRÆNOBILI, AC CLARISSIMO D.

EUSTACHIO CAJETANO MATHÆO ECKER,

BARSPERGENSI PALATINO :

ET ADMODUM REVERENDO, NOBILI, AC CLARISSIMO D.  
FERDINANDO HOEGER,

MONACENSI BOJO, SACERDOTI, ET p. t. BENEFICIATO  
AD DIVAM VIRGINEM MONACHII

SUPREMAM UTRISQUE JURIS LAUREAM  
IMPONEBAT

INGOLSTADII

27. Julii Anno 1764.



SUM APPROBATIONE ORDINARIA

Sumptibus Jo. Francisci Xav. Crütz, Bibliop. Acad. & Thomæ Summer Bibliop. Aug. Vind.

# 1931 HEDERBOARD

THE BOARD OF DIRECTORS  
OF THE  
HEDERBOARD  
HAS THE HONOR TO ANNOUNCE  
THAT THE ANNUAL MEETING  
OF THE BOARD OF DIRECTORS  
WILL BE HELD AT THE  
HOTEL HEDERBOARD  
ON WEDNESDAY, JANUARY 15, 1931  
AT 10 O'CLOCK A.M.  
ALL MEMBERS OF THE BOARD  
AND ALL STOCKHOLDERS  
ARE REQUESTED TO ATTEND  
AND BRING WITH THEM  
THEIR RESOLUTIONS  
AND VOTES.

BY ORDER OF THE BOARD  
SECRETARY



# EXORDIUM.



Uris Naturæ Scientiæ A. A. res est sane, quæ præstantissima Juris Nature Scientia, quæque pulcherrima; neque illi sumus, qui ejusdem præstantiam, atque etiam utilitatem aliena potius commendatione, quam nostro usu, cultuque cognoverimus: sed, cum ejusdem laudibus assentimur, talem profecto requiramus, quæ non sit a supremi Auctoris cognitione, animarumque nostrarum immortalitate

disjuncta. Tum vero, cum integram eam, sinceramque, qualis à Sapientissimo naturæ Opifice fusa in hominum mentibus, & ejus quasi digito (a) inscripta est, interpretes sui conservaverint: quantum ei tribuendum sit, cum ipsa, quam dixi, origo, rum amplitudo, quæque omnium communissimæ legis satis declarat. Hæc enim una ad res omnes ceteras latissime pertinet: quæ luce non extrinsecus accepta, sed interna, maximeque propria homini præfulgens, ita in seclum fertur imperandi, prohibendique sapientia, ut, a quibus illa avocet, nequeat nisi cum scelere perpetrari; ad quæ ducit,

(a) Ad Romanos 2. vers. 14., & 15.



cat, nequeant cum integritatis laude prætermitti. Hujus demum ad normam ita leges ceteras necesse est exprimi, ut, quæ hanc scripta non sit, non modo legis nomen amiserit, sed in corruptelis sit putanda (b). Etsi enim humana lex addere quiddam, aut detrabere ipsi naturæ videatur posse (c); quo facto jam in eam lex cadat: tantum tamen abest, ut aut imperare, quod jure naturali sit interdictum, aut prohibere, quod illo præscriptum sit, legum latribus sit integrum, ut ne summum quidem Pontificem, aut Aug. Imperatorem, nedum privatos ullos homines ab ex ratione eximios habeamus. Sed ita & in omnes, & omnium locorum, ac temporum valet, quemadmodum accuratius ista disputantes nos monent, ut neque terrarum disjunctio varietatem, nec hominum varietas vicissitudinem, nec temporum vicissitudo ullam adferat mutationem.

Itaque jam tum inde a primi Parentis ortu non aliis legibus regebatur genus humanum, quam iisdem, quæ sua quemque ratio edocebat. Tenet illa tum quidem, ut in tanta humanæ intelligentiæ imbecillitate, nec raro, ista etiam scelerum coligine, propemodum diruta, atque deleta: dum denique, quæ essent expressiora omnia, DEUS ipse ea, quæ adhuc mente continebantur, decalogo complexus, etiam scripta lapideis illis tabulis mandaret. Sed ultimam quasi manum Servator noster, idemque Magister humani generis Christus imposuit: nec enim ille novis duntaxat, & propriis legibus ~~temporalibus~~ ~~fraus~~ ~~insidias~~; ~~venum~~ ~~& illa~~, quæ lege naturali cæta jam erant, aut obscuriora: explicavit; aut refractariis molesta gravius sanxit, aut remissius exposita, acceptaque expolivit, & ad summum perduxit. Nec tamen hominum quoque in hujus disciplinæ propagatione studia defuere, cum multorum antiquitus Philosophia non nisi per vestigandis naturæ officiis occuparetur. Sed hos cum ambitionis, & libidinum, aliorumque vitiis cum intemperiz transverfos sæpe egerant; tum vero ipsa ratio quoque, cum aliud nihil respicerent, non raro vehementer sefellit.

*Exculta* Secuti eos, quoad tutum videbatur, SS. Ecclesiæ Patres, divini-  
*Catholicis,* lumine collustrati illi, & aliis præterea adjumentis usi plurimis, castiorem multo hanc disciplinam, sanctioremque ad posteris trans-  
 miserunt. Etsi enim non omnem hanc doctrinam eo, quo nunc quædam,

(b) In eandem fere sententiam Cicero l. II. de Legibus c. V. : *Quid quod multa perniciosa, multa pestifera scribuntur in populis, que non magis legis nomen attingunt, quam si latrones aliqua concessa suo sanxerint.* De quo vide Lips. II. Antiquit. 2.

(c) Hoc sensu textum accipio in L. 6. ff. de J. & J.

dam, ordine, nec amplitudine eadem sibi sequendam putarunt: complura tamen ejus capita, ut rerum temporumque ferebat ratio, ubertate maxima, summaque sapientiae laude explanarunt. Ab his autem tradita sibi initia non segnus deinceps excoluere omnium temporum, artiumque Doctores, & scriptores Catholici, Theologi praesertim, qui de moribus quaerunt, Jure-Consulti item, magnoque numero Philosophi, qui in juris naturalis omni illo ambitu adeo nihil praeteriere intactum, ut ante saeculum XVI. novam ejus formam, & singulare quoddam, ac separatum ab reliqua Jurisprudencia corpus requirere nemini in mentem veniret.

Incessit ea cura saeculo demum XVI. Heterodoxos, ut laborem *Depravata* susciperent minime quidem necessarium compilare exilibus operis, *ab Hetero-* quae nostrorum in voluminibus cum uberius multo, d' lucidiusque, *doxis.* tum vero firmiter etiam munita rationibus, prorsusque luculenta exstabant. Tum vero ubi spoliis nostris paginas impleverunt, ita nihil in fronte reliquum, quod non perfrictum sit, habent, ut suggillare nos, quasi juris naturalis plane ignaros, & qui repetundarum a nobis postulandi sunt, ii nobis inopiam, patrimoniique nostri incuriam exprobrare firmis lateribus non erubescant. Sed ut haec levia videantur, illa scilicet, quae sunt majora, efficiunt. Quorum enim pertinere existimatis, AA., Jus illud Naturae, ac Gentium, & nescio quid praeterea, quod aliquot mensum tumultuaria institutione infundere adolescentulis magno hiatus promittunt: ut jam si frugi ipsa etiam doctrina foret, facile ex discendi hoc genere, histrionibus proprio, de hominum istorum vel sua in arte peritia conicere prudens existimator possit. Sed quorsum inquam tam incitata, & pertinax de hoc jure commentandi contentio? quid dubitamus, dum sola ratione hanc, quam unicam vitae ducem volunt, disciplinam tueri se praedicant; dum auctoritatem omnem, sed maxime divinam, ab ea longe jubent abesse; dum statum, qui animo duntaxat informatur, miscent cum homines; dum Deum, animique immortalitatem tam sollicite a sua disciplina secludunt, ne sit, quod eos ab Atheis, & Epicureis inire gratiam prohibeat; dum Religionem in contemptum vocant; Conciliis abhorrentem historiam affingunt; in S.S. Patres, & nominis Christiani propagatores sanctissimos aliquid inscientiae, ac vitii conferre adlaborant: quorsum, inquam, ista pertinere debent? aut quid potest nobis esse obscurum, quod ipsi adeo nobis occultum habere non curant, quod tam aperte ante oculos, atque ora omnium, tam securi omnis arbitrii nostri, tam petulanter denique, ut admonere nos etiam non dubitent, moliuntur?

Tria autem sunt illis maxime proposita, quorum illud est primum; ut Catholicos supinæ per omnes retro ætates ignorantia coarquant, iniustisque hac nota detrahant auctoritatem: alterum ut suppressis subdole revelatæ religionis principis, inconcussa Orthodoxæ Ecclesiæ dogmata nova arte perfabricent, ac labefactent: sed tertium illud, quod maxime & sua ostentatione, & inconsulta Parentum quorundam prurigine passim consequuntur, eo spectat, ut illis, quos tanto clamore venditant, novitatis fumis Catholicam Juventutem in Academias suas pelliciant, & insolitæ cuiusdam, ac omni fide majoris eruditionis opinione percitos adolescentes iis sensim imbuant, demulceantque sententiis, quæ non Juris quidem naturalis cognitionem adferant locupletiores; sed ubi radices in animis necdum sat firmis egerint, imprudentes discipulos in Magistrorum errores trajiciant. Quamquam quid multis? aut num ego ista suspitione duritaxat consequor, cum ipse Puffendorffius odio status Catholici se ad Jus illud scribendum esse adgressum fateatur?

*Orationis  
scopus:*

Quæ consideranti mihi operæ pretium videbatur fore, si omne illud Jus Naturæ, quemadmodum ab heterodoxis tractatur, quale esset, peculiari dissertatione disceptandum susceperem. Est autem hujusmodi, ut totum illud, in quo tantos sibi spiritus sumunt, non modo novi, si doctrinam querimus, nihil adferat; sed ut ne illa quidem aut integra sit, aut ita munita, ut satis sibi constet eorum descriptio, nec animadverti vitium a mediocribus etiam ingeniis queat. Deinde, quod maxime rem continet, præterquam quod litterarii muneris partes non impleant; tantum abest, ut humani etiam officii tueantur integritatem, ut maxime ipsorum adeo morum ex eorundem disciplina existant corruptelæ. In tres enim quasi classes omnes illorum tribuere sectas possumus, ut ea, quæ sequuntur, principia tripartita ferme sunt. Aut enim ab ipso homine ultimum Juris Naturæ principium repetunt; aut ab societate, & conjunctione humana, quam uno verbo socialitatem vocant; aut demum ad ipsum DEum legem hanc immortalem referre præ se ferunt.

*Divisio.*

Quo in genere omni non modo nihil extricant, sed ne in eo quidem, quod instituire videntur, manent: nam in longius duducendo, quæ ab nostris arripuerant, varieque torquendo ita demum in errores etiam luculentos abeunt, ut nec DEo cultum, nec Reipublicæ pacem, nec Homini suam beatitudinem consistere patiantur. Quod dum in præsentiarum confirmare dilucidius adgredior, quæso, ut, quos aliis sæpius humanitatis, & benevolentia fontes

in

in audiendo apertos esse voluistis, eodem nunc mihi clausos esse haud sinatis.

Ac primum quidem genus illud, quod ab ipso Homine legis originem arcessit, ita miris habet captiones, ut nisi illud, quod maxime latet, quodque vix verbis profertur, inventum a nobis fuerit, existimari de re tota vix possit. Sed dabitur paulo postea locus, cum & illud omne latibulum excutiemus. Nunc primi duntaxat aditus sunt patefaciendi, in quibus nihil dum tam noxium aut contentione nostra dignum apparet: nam qui ab eodem hoc, quod dixi, capite Juris, naturalis exordium repeterent, etiam orthodoxi quidam non desuere. Sed nisi varietatem in hac doctrinae similitudine praecipuam notemus, erit hoc ipsum lubricis hominibus patrocinio, quibus magnum semper fuit cum Catholicis vel errare, Haereant igitur in vestigiis nostrorum: ne abutantur eorum modestia: neque longius abeant: neque quid laxent.

Equidem ab humana ratione Juris, naturalis principium nostrorum, aliqui sibi ducendum putarunt. Sed hi si ex in re obligationem legis ab ejus applicatione parum distinxere, inepte potius philosophati sunt, quam errore quodam impliciti: illi enim fundamentum duntaxat legis, quam aliunde noverant, in ratione positum existimarunt, non legem ipsam ex eadem ratione noscere instituerunt, nec certe hujus solius praesidio hanc disciplinam vestigandam arbitrati sunt. At quam longe aliter in eandem rationem ingrediuntur Heterodoxi, quorum quasi Primpilus Puffendorffius, ubi de Jure Naturae agatur, omnia alia jubet submoveri, solaque ratione eam viam tentari (d). Qua tamen lege nec ipse stare, nec promissis suis potuit; quandoquidem potissimam operis sui partem textibus Juris Civilis, & variorum, quos citat, eruditorum verbis, imo & S. Scripturae, quam insperissime accommodat, oraculis referre, Gundlingius quoque nescio, qua aegrimonia correptus sit, ut scriberet (e), se de omnibus legibus illud confectum habere, eas esse ipsam rationem. Quasi vero lex naturalis e sola ratione divina proflexerit, nec potius, ad eam ferendam, significandamque, rationis officio, suam homini voluntatem, DEUM interna rei bonitas, aut contra malitia necessario permoverit.

Quodsi autem sola ratio omnia efficit, ergo ad humanas etiam ferendas leges haec sola Principi sufficiet, ut satis sit ita ei placere, nec ulla porro necessaria consultatio, expediat Reip. nec ne, jura sit, an de natura

(d) In Praefatione Juris N. & G.

(e) Discours sur les Loix Naturelles, Rech. cap. 1.

*Principium recte ratio nis aliter a Catholicis tractatur, aliter ab Heterodoxis. Non sufficit, e xplican- tu- li Jurispru- dentia*

*injusta*, &c. Præterea si tantum rationi tribuunt, quantum dicunt, sola igitur sine voluntate ratio legem efficiet? Quæ quidem doctrina quid habet firmum, cum tam facile pulsetur? At Wolfius superius feret, cum alibi sparsim (f), tum ex professo in eo opere, quod inscripsit: *Institutiones Juris N. & G.* In quibus ex ipsa hominis natura continuo nexu omnes obligationes, & jura omnia deducuntur. Et sane, quod promittit, præstitit: exclusit a jure naturæ non omnem modo cum humanam, tum divinam quoque auctoritatem; sed & ipsum naturæ auctorem Deum: quo factum, ut cum sola ratione vellet omnia colligere, non jus naturæ illud hodiernum ac nostrum attingeret, sed jus quoddam fingentis ingenii, quasi in rep. Platonica viveret, nec ethnicis aptum illud, nec Christiano, quod judicium non de Wolfii duntaxat, sed omnium ferme suorum in jus naturæ commentationibus scriptor ipse heterodoxus tulit Heineccius (g). Sed Loripedem sectus derideat (h): in eadem & ipse est navi, qui, præter alia commenta, solam & ipse sine ullis cautionibus rationem obligationis naturalis judicem, arbitramque constituit.

At enim horum sive gratia, sive ingratis ea tamen est prudentiorum pervagata passim opinio, ac doctrina, exceptis summis morum principis: *Declina a malo, & fac bonum, quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*, &c.; in quibus etiam solam rationem negant gravissimi quique (i) ita sibi posse, ut errori assentiatur, his autem demtis, aut si qua ex hisdem præterea clare, continenturque ducantur, in ceteris, quorum est longinquior consecutio, solam rationem uti obnoxiam ignorantia, ita ab errore minime immittentem esse, omnes, inquam, usu, doctrina, sapientiaque præditi existimarunt. Sed quid miris, cum sit in oculis nostris, quod in temp. Christianam, in juris prudentiam naturalem, in mores denique ipsos corruptelæ Regnum rationis hodiernum, *Spiritus legum, Spiritus Fortis Protestantis* (utinam non & Catholicorum quorundam, quibus, sub orthodoxo Principe, sola quod sentiunt, scribendi libertas deest) vel nostra hac ætate intulerint: cum sit tamen horum nemo unus, qui non suam rectam esse rationem, se cordarum hominem, se præclare in omnibus

(f) In sua *Philosoph. pract. seu Vernünftige Gedanken von der Menschlichen Thun und Lassen.*

(g) In Præfat. Elem. J. N. & G. versu: Iporum libris.

(h) *Juvenal. sat. II. vers. 23.*

(i) S. Augustin. in Pl. 57. *Veritas manū non formata h. corribus nostris scripta: Quod tibi non vis, alteri ne feceris: hoc ignorare nemo permissus est.*

perere eodem sensu sibi videatur perceptum habere, quo habet, se existere. De quibus sapientissime S. Augustinus (k), neque honoris illé duntaxat caussa a me laudandus, sed quod rem acutissime vidit. Is autem sic: *Tales homines, quorum profecto maxima multitudo est, si ratione volunt verum comprehendere, similitudinibus rationum facillime decipiuntur, & in varias, noxiasque opiniones ita labuntur, ut emergere inde, ac liberari aut nunquam, aut egerrime queant.* Convinci volunt? ipsa sententiarum varietas indicio est, cum omnes sapere se putent, non omnes tamen posse, quod rectissimum est, sapere.

De adminiculis igitur a nobis querendum, quibus adjuncta erudiat ratio, ne in iudicando errorem suscipiat. Hinc fontes purissimos, quos ipsos tamen vel maxime conantur heterodoxi conturbare. Sunt autem: S. Scriptura, Revelatioque divina: tum auctoritas humana quoque qua precipiens, qua docens: theologia demum Naturalis, Jusque & Canonicum, & Civile. Atque in primis S. Litteræ non modo locum in hujus Juris tractatione habere possunt; sed profecto debent. Quid enim Salomon in Proverbiis, & Ecclesiaste, quid maximam partem Prophetæ, quid in novo instrumento Historiz sive Christi, sive Apostolorum scriptores sacri egerunt magis, nisi ut legis potissimum naturalis præcipua capita interpretarentur? Qua in re ridicula rursus heterodoxi generis hominum nobis significatur mobilitas: qui enim S. Codicem a Juris Naturalis commentatione procul esse oportere quasi uno ore omnes clamitant: iidem ipsi, Grotius, Puffendorfius, Gundlingius, Weberus, Thomafius, Heinæccius S. litterarum testimoniis, ut nemo studiosius, operam dedere profecto improbam, cum fædissimum in modum, alienissimumque in sensum verba contorquerent.

*Opus est igitur adminiculis ad rationem regendam: qualia sunt S. Scriptura,*

Jam vero Revelatio, ubi in aliquid Naturali Jure præceptum cadit, non magis respui ab Juris Naturæ Consultis potest, quam præceptorum divinarum Catalogus, qui & ipse in revelatis est: ut tacitam, revelatione divina vim illam obligandi naturalem non tolli, sed declarari duntaxat, perficique. Certe omnes ferme & Gentes, & gentium sapientissimos nec Philosophia, nec Juris naturæ commentarii ulli citius ex ignorantia tenebris eripuerunt, quam cum verbi divini revelatione melior etiam lux ipsi rationi obhoriretur: neque tantam eis cognitionem attulissent aut Epicuri commenta, aut quæ in Homeri fabulis recondita esse fertur sapientia. Eandemque ob rem & Christiani Philosophi Deum existere etsi revelatione compertum haberent,

*Revelatio,*

(k) Lib. de Quantit. anim. cap. 7, n. 20.

berent, etiam naturali præterea ratione demonstrare non neglexerunt.

*Auctoritas humana qua præcipiens, qua docens, Quam Heterodoxi a Jurisprudæntia Nat. proscripam volunt.*

Imo & Eruditorum, quæ communiores sint, sententiâs in consilium adhibendas ab Juris naturalis quæstoribus quis neget? negant invitis omnibus Musis, maximeque typographis suis Heterodoxi scriptores, quorum si inde a Seldeni, Hobbesii, H. Grotii, Puffendorffii, Thomasi &c. temporibus memoria arcessatur, nemo est unus, qui, cum se Jus naturæ purum, ac evidens, necessarioque ordine ex sola ratione ducturus amplissime pollicentur, non hic parandi aditus causa severiorem in Catholicos Doctores parnesin exordiantur, quasi qui Juris naturalis disciplinam sacra, profanæque auctoritatis admixtione corruperint, fœdarintque. Tanta enim præcitate sunt, ut, quid ipsi maxime faciant, nobis putent inobservatum fore. Sane quidem, quo alienius ab omnium conscientia, quoque verecundia minore in nostros debacchantur Heterodoxi, eo magis fident nostrorum indoctissimo cuique faciunt; imperitisque, & leviter ab suomet ingenio paratis orationem tradunt quanto inaniorem sapientie, tanto pleniorum calumnie, qui quod sunt leviter omnibus Literis tincti, et facillime omnibus probris assentiuntur, maluntque deosculari inmeritam virgulam spidi, & imbecilles discipuli, quam extorquere eam repentinis; & hesternis Magistris, quos, si quid eis sub læva saliret, obnoxios habere nullo negotio possent, nec suam elarioribus indicis produnt ignorantiam, quam cum ea, quæ confutatu facillimâ sunt, ita admirantur, ut suspicia etiam non tentant, dum talia legunt, deplorentque Catholicæ rei calamitatem: si tamen vel tantum bonæ mentis porro retinere, nec criminando potius quærant auctoritatem, Catholicaque clanculum convellere inficuta conentur, ut gratiam scilicet referant suis magistris illis, a quibus solidioris doctrinæ procuratione liberati sunt; blaterandi, & conviciandi facultatibus suppeditatis. *O seculum insipiens, & inficetum!* (1)

*sed iidem promissis, & legibus suis non stant,*

Sed per nos impune non sit Heterodoxis in eruditionem nostram invehi: quamquam illud, quod supra animadversum est, sufficere queat, ut in perpetuum eorum notetur petulantia, id ipsam, quod reprehendunt, facientium. Sed quando crabrones non cessant sua assiduitate molesti esse, cum toto aliquando examine res nobis sit oportet. Qui enim tam minaciter dicunt, nihil faciunt minus, soloque excepto Wolfio, qui aliena non tam prætermisit, quam verius cum suis commutavit, & ad consecutionis rationes aptavit, ceteri uno agmine omnes suimet propositi immemores, quidquid usquequaque

(1) Catull. Epigr. 40.

quaque sive sacris e paginis, sive ex Canonici, Civilisque Juris tabulis, sive ex eruditorum monumentis corradere, atque etiam confarinare potuerunt, nemo sane pepercit. Ut enim temperarent illi allegationibus, hocne, possent? quantus fons obstrueretur ostentandæ etiam ad lasciviam usque eruditionis, quid eis in tanta veræ doctrinæ inopia laudis superesset, nisi diverticulis istis a proposito, ac rei summæ legentium animos possent avertere? quam denique a nobis palmam ullam referrent, nisi his quasi excursionibus aliquid subito carperent, laureolanque in mustaceo aliquam sibi colligerent. Non sane, adeo illi sibi ipsis inimici sunt.

Itaque ut taceam Hugonem Grotium, qui nusquam certe sibi defuit, & ut erat legendo indefessus, ita in fructu lectionis profere[n]do propemodum immodicus. Atque ut tum ipse, tum ejus commentatores (m) confitentur, lucubrationem suam omnem, quæ in tanta gloria est, ex Philosophis, Historicis, Poetis, & Oratoribus, itemque ex libris Sacræ Scripturæ, ex monumentis Ecclesiasticis, Canonum synodalium, & Patrum, sive ex Scholasticis, & Jureconsultis compilavit. Uti Grotius

Hinc passim testimonii causa ab eo laudati D. Thomas, Sotus, Navarrus, Covarruvias, Tiraquellus, Sylvester, Lessius, Victor: ex quo plurima descripsit, ea duntaxat immutatione, ut sanam ejus doctrinam plerisque in locis corrumpere, & de suo adderet circumscriptio[n]es duntaxat arbitrarias, & cum a Catholica sententia alienas, tum iisdem ipsis, a quibus sumserat, parum honorificas.

Hæc Grotius etiamnum inter Batavos agens. Alia ille omnia, cum in Galliis ad Catholicorum denique partes Petavio, & Brietio testibus, & auctoribus præcipuis se adgregasset. (n) Tum enim Pallinodiam sane cecinit, quantumque auctoritati Ecclesiæ, quam olim temerasset, jam tribueret, in opere postumo (o) memoriz reliquit.

B 2

Nec

---

(m) In opere de J. B. & P. Francofurti ad Viadrum impensis Jeremiæ Schrey 1691., typis iteratis mandato, in conspectu brevlore. fol. 3.  
 (n) In Menaglan, cit. apud Niceronium in vita P. Petavii. P. Phil. Brietius in suis annalibus mundi ad annum 1645. hæc scribit: obiit hoc anno litteratorum decus, & gloria, Hugo Grotius, cui inter Catholicos moriendi voluntas non defuit, sed facultas. Is enim illam ipsam, quam tenemus, animo ( ut mihi fassus est ) profitebatur fidem.  
 (o) Inscribitur hoc opus: Rivetiani Apologetici discussio, quod ringentibus Heterodoxis, & Grotium sibi asserere nitentibus plane Catholicum esse fateatur Antonius Arnauld epist. 432, & satis indicant vel illa Grotii in hoc libro verba: cum longe lateque disjecti essent Apostoli ad spargendum semen Evangelii, siquid



*Gundlingius.*

Nec Gundlingius hic tacendus, qui & ipse hoc genere declamator acerrimus fuit. Sic autem colligit (p): *Due sunt revelationes, altera facta est per Scripturam, altera fit per rationem. Quid opus est Scriptura, siquid ex ratione intelligere possim?* rum porro; veritatem naturalem ex Scriptura peraque disci non posse, atque ex eadem Mathematicam. Sic demum concludit: miserum in modum illos alucinari, qui ex Scriptura proferre Jus naturæ velint, cum longe sibi alium finem hæc habeat propositum. Quantum Virum Gundlingium! in quibus enim Scriptores eruditissimi, cum privatæ se traderent rationi, turpiter alucinati sunt, uti de mendacii, fornicationis, perjurii licentia &c. quærentibus contigit; in his nihil habet Gundlingius negotii, soluta omnia, etiam siqua difficulter judicantur, si maxime sunt extenuata, si in extimam speciem ducta: tam pellucens est ipsi ratio, ut sine ullius auctoritatis adminiculo secare omnia ad amussim dexterrime, & ubique medium ferire audeat. Imo non Gundlingius duntaxat talis, sed & omnes præterea: quandoquidem univèrse consulere non dubitat, auctoritatem a Jure naturali scorsum habendam esse.

Sed vehementer urget: Si enim Mathesin sacris e litteris exprimere non queamus, quo pacto Jus naturæ indidem eliciemus? atqui regulas scilicet mathematicas inscribi cordibus nostris oportuit, ne tanto labore addiscerentur? quanto vehementius admiror, Gundlingium tam limpida ceteroquæ ratione præditum hoc in genere tam obstipum fuisse, ut in ejus scriptis de Jure institutionibus nulla essent Mathemata. Atqui nisi inde hæc queant condisci, actum est igitur, ut Jus naturæ indidem repeti possit. Miseret hic Gundlingium nostri, qui in Scriptura Jus naturæ quæramus: nos vicissim Gundlingii miseret, qui cum Mathesi & Jus amiserit, quod invenire Sacris in litteris tam facile potuisset. Sed non ita habet, inquit, alius sacris oraculis est finis propositus: non ille, ut officia homo, quæ Deo debeat, inde addiceret, non ut naturali honestate suo se auctori probaret, neque ut obfuscata, ac dubiæ rationi lucem adferret revelatio. Quis igitur finis ille? longe altior? quasi vero ad rem ipsam pertineat omnis ista diversitas: ut enim idem est Deus, quem natura humana respicit ut finem suum naturalem, ac supernaturalem,

---

*siquid incidisset dubii, ut de Apostolatu Pauli; quo iri poterat, nisi ad Petrum? - - sine tali primatu exiri e controversiis non poterat: sicut hodie apud Protestantas nulla est ratio, qua ortarum inter ipsos controversiarum reperitur finis. Et hic Primatus post Apostolos mansit in sede Romana.*

(p) Discours über das Vernunft: Recht. c. 1. §. 5.

lem, ita & legis naturalis, & Sacri Codicis idem est finis hominem dirigere ad scopum suum, finemque ultimum. Sed quid trucidamur cum homine seniculo, cui memoria defluxit? viginti enim tribus intermissis §§is. (q), jam oblitus ille, quid scripserit, egregie seipsum exhortatur ad scripturam in consilium adhibendam. Hem de uno cerebro calidum, humidum, frigidum, siccum! quid tali Protheo facias, quem ne confutare quidem possis, ita lubricus est, & formas versatus in omnes.

Sed frangamus aliquando his hominibus genuinum. Cur auctoritatem illi jam rejiciunt, jam iidem cumulant? enimvero non adspernantur hanc illi, non id ipsum, quod præ se ferunt, credunt: quid enim ita hanc appetunt, ut torqueant etiam, ac flectant verba alio, quam per se congruant? quid corrumpunt etiam, & interpolant, omittis, quæ suam in rem parum facere intelligebant? Sed si auctoritatis vim profiterentur, fore vident, ut victi eadem ipsa re, exitum porro, aut receptum non habeant, quo perpetuo indigent. Ea causa est, quam ob rem in auctoritatem elevandam tam egregie concinant: exprobrant, non ut nobis bellum faciant, sed ut a se longius depellant: cum nos de re nostra defendenda laborandum nobis putabimus. At simul in rem suam convenire eis aliqua auctoritas visa est, ne illi diligenter utuntur, & jactandi, inculcandi, urgendi, exaggerandi finem non faciunt.

*Causa  
hujus in-  
constantie*

Sed quemadmodum properantibus accidit, ut ipsa eos sæpe festinatio retardet, ita Heterodoxis ipsa contentio negotium facessit, ne, quod maxime laborant, consequantur: toti enim sunt in rationis humanæ exaggerandis ad Jus naturæ inveniendum facultatibus. Quod ipsum si foret verum, amabo, cui igitur bono tot eorum de Jurisprudencia naturali volumina? si sola cuique ratio legis hujus magistra esse potest, hæc igitur sola pro mille libris est; nec alijs opus doctorum hominum auctoritatibus, atque subsidijs. Rogo igitur devoveantur tot supervacaneæ Heterodoxorum commentationes? quid manus occupant legentium, & præla typographorum? quid tempus surripiunt gravioribus negotijs? cum omnis illa Juris naturæ scientia cum ipsa ratione sit cuique ingenerata, quo igitur tot sumtus? Quodsi vero istorum hominum, si Hobbesii cujusdam, si Grotii, si Puffendorffii, Wolffii, Heineccii adhibendæ sunt opellæ, cur auctoris naturæ divina oracula, SS PP. effata, Theologorum, Canonistarum, & Jure Consultorum Catholicorum sapientissima, & vene-

randa auctoritas a Juris naturæ disciplina arceantur? Siquæ suppetias veniendum esse rationi Doctores Heterodoxi putarunt, hanc igitur infirmam sæpe auxiliis suis egere ea ipsa re confitentur.

Et véro, quis unus ille heros in terrarum orbe tantus, qui se naturæ præcepta omnia sola ratione, nullis auctoritatis, librorum, Magistrorum, educationis, experientia adminiculis consecutum vere possit gloriari? Retineatur igitur in hac disciplina auctoritas tum antiquiorum quoque Solonis, Homeri, Platónis, Tullii, Senecæ, Publ. Mimi, Phædri, Catonis utriusque, quæ supersunt, & eo nomine feruntur; tum vero maxime nostrorum, Gregorii, Isidori, Augustini, Thomæ, Scoti, Suárezii &c. sed & eorum, qui Theologia Naturali operam attulerunt.

*Nec ab adminiculis excludenda theologia Naturalis.*

Cur enim hanc tam curiose secernunt Doctores Heterodoxi; cum sit pars Jurisprudentiæ naturalis præcipua, & totius disciplinæ fundamentum? quid enim est aliud Theologia naturalis, quam *scientia practica dictans naturales hominis obligationes erga Deum*? Hac igitur sublata hominis erga Deum officia tollentur, quam impietatem quis vel Scriptor Ethnicus ferendam putarit?

*§ Jus Canonicum,*

Sed cur auctoritate demum Jurisprudentia naturalis careat etiam Juris Canonici, & Civili? num quia nempe Luthero sic placuit? qui apud Gretschherum (r) (lepidum enim aliquando est rudentem asinum audire) in hæc verba loquitur: *Jus Canonicum multos errores continet: Pyra igitur dignum censeri potuit, & debuit &c. nec multo post: Canones sunt scabiosi, Decretales pestilentissima, Canoniste Asiniste, atque Diaboliste.* Hem animal argutum, quod tali ruditu potuit heterodoxorum nostrorum majores ad defectionem sollicitare. O dignam Lampfaceni Numinis victimam (s). Atqui licet hodie pudeat hominis, malint tamen huic, quam Imperatori credere, qui Jus canonicum ornans, *sacras, & divinas regulas dicit, quas etiam nostræ sequi non dedignantur leges.* Et idem (t) sacros Canones pro salute nostrarum animarum conditos, ac constitutos, plusque studii in observatione Canonum, quam in custodia legum Civilium ponendum esse &c.

*ac Civile*

Ceterum etiam Jus Civile maximam partem in explicandis Juris naturæ abditis versari, legum periti diffiteri non possunt. Siquidem *privatum Jus*, ut ipsa ejus verba declarant, (u) *tripartitum est; collectum etenim*

(r) De modo prohibendi libros hæret. L. 1. c. 22.

(s) Asinum enim huic Deo immolari scribit Ovidius L. I. Fast. vers. 197. & seqq.

(t) Nov. 61. & 132.

(u) Leg. 1. §. 2. ff. de I. & I.

etenim est ex Naturalibus præceptis, & gentium, aut Civilibus. Obmurmuratur Heterodoxi frequentes, quorum e grege Heineccius nulli rabularum secundus sic declamitat: (w) si Turca, aut Sinenses, vel Japonenses fœdera violent, non convincuntur ex Jure Canonico, vel Civili, neque ex Thoma, Prophetis, vel Apostolis. Igitur procul hæc omnia pellenda. Ita ille tum quidem. Sed pro Crabrones! quoties eadem monenda sunt? & hic quoque sui immemor, paulo postea (x) his verbis superiora sua oppugnat: Jus Civile Romanum est ipsum Jus nature prædictum: pleraque Juris nature præcepta ipsum Jus Civile adoptat: nunquam a Jure Civili, & stricto sejungenda est naturalis Equitas. An est operæ pretium eum refutare, cui major secum ipso, quam nobiscum facta est?

binc merito  
vapulat  
Heineccius.

Sed quoniam Juri Romano revera non amicissimos esse heterodoxos constat, reponamus sane aliquid homini, & ineptas ratiocinationes omnium ex uno discamus. Quid enim? ergone fœderum ruptorum causas ex Jure naturali potius an gentium cognoscendas esse? satis hic profecto, belligerantium usum se non didicisse, Heineccius declarat. Quid tum vero, si de causis a Turcis ruptorum fœderum judicari ex Jure Civili non possit? nequeuntne aliæ etiam inter subditos S. Rom. Imperii, naturalibus de rebus, Controversiæ ex eodem disceptari? aut si S. R. Imperii Civibus aliqua pacis, ex naturalis obligationis violatione, fractæ actio sit, num secundum aliud Jus, quam Civile, & publicum causam edici mos est?

Puto esse satisfactum calumniis, quæ contra auctoritatem sunt ab Heterodoxis excogitata, ut sola in omnibus valere ratio deberet videretur. Sed jam in eo est, ut propius admoveamur. Necdum enim, quibus modis hac sua ratione illi utantur, dictum est. Tantam autem vim illi tribuunt, ut, etiamsi per impossibile, ut ajunt, nullus esset Deus, eadem sola ratio, Jus nature satis tueretur. Etiam si daremus, non esse Deum, docet Grotius (y), nihilo secius tamen ratio omnia intrinsecus mala prohiberet. Non igitur in voluntate divina, sed in ipsa natura rationali legem naturalem inesse volunt.

Principium  
rectæ ratio-  
nis, per  
se ineffe-  
cax;

Non sunt hæc tam recondita, ut non facile disputando refellantur. Si enim abesse Deum fingamus, eundem supererit ratio rei malitiam, aut bonitatem indicans mere fundamentalem, seu exigentem, ut prohibeatur, & ut sit, qui prohibeat: Sed nondum existet regula sive præcipiens; sive prohibens; quæ efficiat, ut sit prohibitum; cum illa rationis ab re insana dissensio nondum in se vim habeat imperii, quod

(w) In Præfat. ad Elem. I. N. & G.

(x) In ipsa Præfatione, & L. I. c. I. §. 19. & alibi sæpius

(y) De L. B. in Proleg. §. 17.

quod proficisci nisi a Superiore non potest. Itaque cum ratio sibi ipsi præposita non sit, nec apta ad cogendum hominem, ut absteineat ab eo, quod minime decet: peccatum in eo statu nullum esse, nisi Philosophicum possit. Etenim cum omne peccatum prævaricatio sit, ut cum sacris litteris (z) S. Ambrosius (aa), nec prævaricatio detur sine lege, ut S. Paulus docet (bb): manifeste igitur colligit S. Augustinus (cc): *neque peccatum erit, siquid erit, si non divinitus jubeatur, ut non sit.*

*Corrumpunt  
Heterodoxi  
etiam dilata-  
tando,*

Sed habet res aliquas præterea captiones, quandoquidem hanc illi commentitiam absente Deo rationis moderationem etiam amplius dilatant. Quodsi enim eodem cursu pergeret lex omnis Naturæ, etiam exempto Deo, addunt deinceps hanc conclusionem: igitur etiam nunc existente Deo duntaxat rationis est in Juris naturalis officia imperium. Et cum Deo careri potuerit, jam ne nunc quidem, cum tolli non potest, ejus ratio habetur, non dico ab omnibus, sed ab iis certe, quorum aut hoc commento uti interest, aut quos illud conciliare cum rebus veris perturbatio non sinit. Quid enim est ineptius philosophari, quam ad statum penitus naturæ repugnantem accommodare Jus naturæ, quod sit hoc nostro vivendi tempore observandum? aut quis non videt addito, detractove Deo totam rerum humanarum rationem immutari? atqui est omnino Deus. Non igitur pestifera ea Doctrina sit, qua sic possis vivere, quasi non esset? maxime cum hoc in omni disciplina sua diligentissime persequerentur Heterodoxi, qui vivendum sit, se noto Deo, idque in omnia sua capita aptent, deriventque: contra quid Deo esistenti homo debeat, commentari negligant: negligunt autem dico? imo hanc ipsam suam videntur latebram habere, ut a re maxima avocent; neve Dei occursum unquam rationis libidini intercedat. Hoc enim satagunt, ut nusquam libertati, aut verius licentiæ frenum injici queat.

*Atque ita  
ad arbitri-  
um suum  
accommodando,*

Hanc autem eis copiam rationis nomen pulcherrime efficit, merito ad omnia transferendum, ut nusquam eis hæreat aqua. Vox enim ea tum per se amplissime patet; tum quia Heterodoxis idem plerumque est, ac arbitrium privatum, versutissime quoquoersum tractatur. Cur enim nusquam sticte definiunt, unde promenda illa ipsa sit ratio, nisi ne suis aliquando luminibus obstruant, pereatque arbitrium? cur nihil certi sequuntur, nisi ne illo ipso devinciri queant? cur, cum auctoritatis subsidio tuta habere, & firma vestigia possint

(z) Psl. 118. v. 19.

(aa) De Parad. c. 8.

(bb) Ad Rom. 4: v. 15.

(cc) De pecc. merit. & remis. cap. 16. L. 2.

possint, respiciunt hanc tamen, nisi quod metuent, ne veritas sine sua opera inveniri, inventa autem ab se depelli non queat? contra ea, si vagantur, non metuent, ut, si ab aliisurgeri unquam angustiis, si sibi ipsis levare animi molestias non queant. Hinc neque ad Deum Doctrinam hanc referunt, neque in humanis sibi quidquam patiuntur fieri necessarium, sed omnia ratione defendunt.

Facillima enim rerum iudex, ac disceptatrix est ratio, maxime parum culta, nec adsueta divinis. Quid faciet? cum huic ipsi semper constitutus sit quasi aliquis tyrannus (voluntas inquam) qui refragantem habeat in vinculis. Nec metuendum sane hoc ipsum tribunal, cuius nec sententia in ceteros homines evulgabitur, nec retardare quempiam poterit, quin suo arbitratu utatur. Testes praeterea ii, qui facile corrumpantur, cum non sint a corrumpente alieni: demum ubi secta accesserit pertinax, pellax, erroribus munita ad alium sustinendum errorem, quid faciet ista ratio, quae non in res multas valet, cuius sunt in humanis rebus tot exempla aberrationis? quid faciet in novis, quid in ambiguis, quid in Controversis? & cum res humanae pleraeque omnes in utramque partem disputari disertissime queant, quid statuet ista ratio? quis de ipsa ratione disceptabit? atqui hoc ipsum cum velint, quo soluta sibi semper sint omnia, quid eligere suam in rem opportunius potuerunt hoc nomine rationis, quod tueri tota opum vi cauti, intentique nituntur.

*Ita impudens peccare possint,*

Rem diximus (utinam nostri illi videant, quam vere) sed nondum penitissime omnem. Etenim ut in arcem invadamus hujus disputationis, plerique, qui in ratione, aut verius in arbitrio hominis fundamentum Juris naturalis volunt esse positum, non tamen hoc sequuntur, quod dicunt, sed illud, quod reticent, cum verbis inter honestos sustineatur. Pudet enim dicere, sed in adhibendo pudorem non subesse ii declarant, qui omnia sibi inter sua tuta rati in ea, quam esse suis in urbibus noverant, morum licentia etiam palam profiteri non dubitarunt: *ama teipsum*, ad hoc denique caput Juris naturalis disciplinam omnem relabi.

*maxime vero ad bona corporis, tanquam prima,*

Laudandi isti tamen, quod animum non celant, nec verbis aliud significantibus rem eandem involvunt, & Heterodoxis fere omnibus communem. Eo enim revera contendit Hobbesianum illud: *ama teipsum*, etsi cetera omnia destruas: & Wolfianum: *vive secundum essentiam*, & naturam humanam Dei expertem, eo Puffendorffianum, *pacem externam cole, vive concinne ad hominum commoditatem*: eo denique, ut plures taceam, Pagenstecherianum illud: *Crescite, & multiplicamini*,

C

qua

quæ non tam a Machiavello deprompta ab his, sed jam tum initio propositæ  
eisdem fuere, cum a Romana Ecclesiæ fide, & amicitia se abruperent. Quæ  
quidem cum rationi ipsi tam inimica sint, ut vix sit, profiteri quem non  
pudeat, tum vero quo ferant, obcurum esse non potest. Etenim  
peritissime hæc demum homines, qui nec cum Catholicis sentire jura  
velint, nec cum Heterodoxis possint, in *Atheismum*, in *Naturalismum*, in  
*Pneumatismum* traducunt, subtilemque continent nequitiam, qua in-  
cautis lectoribus, maxime si qui imperiti, aut peradolescentes ad eos  
libros volvendos accesserint, ex improvise eadem pestis adfricetur.  
Quid jam, si qui eorundem in Academiis sese contulerint? quid  
enim facient, cum scribunt talia? hem beatitudinem, quam isti ho-  
mines largiuntur, quam brutorum esse omnes non modo homines,  
sed & pecudes norunt.

*Quæ in pri-  
mis urgent,  
etiam in  
fraudem  
pœnitentiæ.*

Hem vero, quam late hanc suam doctrinam porro explicent, at-  
que accomodent; quamque delicati hoc in genere sint, nequid sit in-  
commodi; nequid commodi corporum, quam tuentur, volupta-  
ti desit, ut etiam pœnitentiæ omnia, non inquam a Christo sancita,  
sed ab ipsa natura proposita jura extorserint. Docet nos ratio, ho-  
minem peccato obstrictum ad agendam pœnitentiam, redintegran-  
damque cum auctore suo amicitiam, denique ad satis eidem facien-  
dum respicere debere. Nec enim in offensâ conquirere eum amo-  
ris, quem Deo debet, officium, nec suamet beatitas sinit. Quan-  
doquidem, nisi cum Deo illi gratia sit, pax ei esse profecto non  
possit, ut facer nos Codex (dd) mœnet. Quid Heterodoxi? longe  
aliam illi viam reperere, ut omnem a se pœnitentiam, sua illa ratio-  
ne, amolirentur. Itaque cum Puffendorfio, Thomasio, Webero,  
Wolfio acerrime in nos invehuntur, qui corporis ad afflictationem studea-  
mus noxias expiare, cum sanctissimum illud naturæ Jus omnem sui-  
ipsum occisionem, mutilationem, percussionem, confectionem,  
adeoque & inediam, omnem denique corporis injuriam gravissime  
interdicat. Tam enim per Heterodoxos non est homini integrum in  
scelerum vindictam afflictationes, & molestias suscipere, ut facilius  
concessuri videantur, eum vitæ, maxime in duello profundendæ, do-  
minum, quam cruciandi leviter corporis esse.

Possuntne tam manifesti errores ullam deceptionis speciem ha-  
bere? aut quibus vel ista fucum facere queant, quinam esse existi-  
mandi sunt? nos vero ista jactari, deprimi longe nostra usque scilicet  
patiemur? Sed quoniam jam ita rationem suam calumniis obfu-  
scarunt

(dd) Isa. LVII. 21. non est pax impiis.

sciant isti, ut quam conformis juri naturali sit etiam hæc externa pœnitentia, utique interiori conjuncta; cum homo, etsi minime Dominus sit, usum fructum tamen habeat vitæ, adeoque, hæc incolumi, expiandi studium suum probare offenso Deo innumeris modis possit, sed quoniam hæc parum, inquam, intelligere præ se ferunt, aliud eis impingamus, quod expedire nobis, & in quo dissentire suo more non possiat.

Ninivitas sciunt, Prophetæ admonitu (ee) publica pœnitentiæ *Unde a Ninivitis longe dissentiunt.* exempla maxima consensione edidisse. Quid dicent? homine adversus naturæ legem non leviter ea in re admisisse? equidem in hoc potius niti malunt, ut Ninivitas hic peccasse, quam ut afflictationem sui cum lege naturæ consistere patiantur. Sed videant, quo se induant. Cum enim Ninivitarum Deus ipse adprobarit in pœnitentiæ sua declaranda contentionem, jamque intentatas eam ob causam condonari pœnas, necesse est, ut ipsum naturæ auctorem violati Juris naturæ coarguant.

Habemus igitur, quorsum evadat ratio, & quænam illa sit, quam Heterodoxi ferme unicam sequuntur, sui ipsius nimirum, id est, commodorum suorum conservationem, & questum. Huc enim flecti, huc revocari videmus omnia; quæ tametsi diminui aliquando circumscriptionibus quibusdam, & ad Philosophiam quamdam adduci perinde possint, atque olim Epicuri sententiæ ad rationem, & ipsorum Gentilium de suis numinibus fabulæ ad quamdam allegoriam retractæ a quibusdam sunt: tamen sicut, qui ista Epicuræ, aut fictæ tradiderunt, ac secuti sunt, ex grege porci, & fictorum numinum cultores & fuerunt potissimum, & recte habiti sunt: ita de heterodoxis aliter sentiendi nulla nobis ratio est.

Nec aliam a se propositam Juri naturali beatitatem satis indicans, *Apertius id etiam declarant* dum intra hujus duntaxat vitæ terminos & religionem, & vivendi rationem, & totius Juris fructum volunt esse conclusum. Qua chor- *clarant* da cum ceteris etiam Kemmerichius Puffendorffii enucleator oberrat, dum beatitudinem (ff) scribere non dubitat, *solum legis naturalis observantiam, singularem perfectam foret, suffecturam ad felicitatem hujus, & futuræ vitæ. Nec naturalem* aliter sentit Wernherus, Fleischerus, & alii Puffendorffiani Paraphra- *hujus vitæ* stæ in id scilicet intenti, ut incautis lectoribus per variarum opinio- *terminis* num anfractus circumductis persuadeant demum præcepta *positiva cum* divina, tum Ecclesiastica flocci esse facienda, vivendique eam ten-

C 2

nen-

(ee) Jonæ 3.

(ff) in Elem. Jur. N. & G. c. 4.



nendam rationem, quæ ineunda foret, si nunc in statu *naturæ puræ*, nec ad finem supernaturalem elevata, nullis legibus positivis sive divinis, sive humanis viveremus.

Verum crassa ignorantia mixtum errorem, & multo etiam pejorem usum dudum a nostris confixum habemus. Sic enim ad iudicium docent: Et si in statu naturæ puræ, nec ad altiorem finem elevata, sola lex naturæ fuisset *adequata objectiva* morum regula: nunc tamen *in statu naturæ elevate*, & a lapsu reflectæ legem naturalem regulam honestatis esse duntaxat *inadequatam*; alioqui in altiore hoc statq; beatitudinem solis naturæ viribus, solaque legis naturalis observatione obtineri posse consequeretur. Supervacanea igitur Salvatoris opera, inutiles pro nobis suscepti labores, ac perpeffiones, supersedendum etiam baptismo, ac ne voto quidem sanctissimum illud lavacrum erit requirendum.

*Igitur corruptissima hæc doctrina, & minime plausibilis.*

Hæc quantis erroribus omnis illa Heterodoxorum trita sit via, & in quam denique beatitudinem evadat, ut ovum ovo non sit similis, quam hæc omnis doctrina *Materialismo*. Nihil sane hic tam reconditum, quod existimari non possit: in aperto sunt omnia. Quid igitur tam admirabile in horum Institutionibus, in Libris, in Academiis invenire nostrorum aliqui potuerunt, ut si quis obscurus ceteroqui advena ab Heterodoxi Doctoris manu chirographum attulisset, se in ejus discipulis fuisse: is continuo maximis muneribus, quæ alii in patria frustra quærent, præficiendus quibusdam videatur? quid enim homo didicit? quid non elumbe, lubricum, insidiosum, atque etiam perversum in ea Doctrinæ fæce hausit? quam egregie Patriæ consulat, cum ne amicis quidem suis ita assentatus sit Tullius, ut eos, quia Epicurei essent, de Patria bene cogitare putaret posse. (gg).

*Part. II.*

Ad alteram igitur gradum faciamus classem eorum, qui ab ipsa Rep. humanæ Juris naturalis principium sumunt. Quod genus ut non seatur, necesse est eorum nos iterum mobilitatem commemorare. Cum enim nusquam firmi possint consistere, & quamcunque arripiant Juris exordiendi rationem, semper aliquid desit ad integritatem: eo fit, ut iidem, qui priore utebantur explicacione, identidem in hanc reflectantur posteriorem, & ab hac iterum ad eas, quas diximus, Epicureorum ineptias perpetuo transfiliant.

*Principium Socialitatis.*

Est autem hujus alterius principii hujusmodi doctrina, quam accurate

(gg) Lib. VII. ep. fam. 12. *Sed quoniam modo Jus civile defendes, cum omnino tua causa facias, non Civium? &c.*

curate exposuit Thomafius: ( a ) *fac ea, quæ neceffario conveniunt cum vita hominis sociali; & quæ eidem repugnant, omittit.* En tandem doctrinam, quam proferre apertius audent, cum pertinere ad regnorum, & rerumpubl. felicitatem videatur, in qua illi operam fuam, & ftudium tanti facere folent, ut regent beatam, & locupletem rempubl. effe poffe, quæ non fuis hifce utatur institutis. Equidem quantum ad Philofophiam attinet, quam in omni fcite excogitata descriptione quærare homines folent, non prorfus nugantur illi, fi modo ne univerfe hoc principium ad omnia Juris naturalis officia inde cognoscenda dicant valere. Nam quin hac quali regula uti plerisque in negotiis ad intelligendum, quid humanum, quid verum, quid benignum, ac naturæ confentans fit, poffimus, a nemine eruditorum in dubitatione pofitum memini.

*ad multa cognoscenda J. N. officia præ lucere poffit:*

Sed cum hac fola ex focialitate dicunt omnia Juris naturalis munera profluere, ac confequi, tum vero non folum adverfarios habent nôtros, fed ab fuismet, uti Gröningio, Mevio, Kefahnero, Heineccio, & utroque Coccejo, Henrico, & Samuele tanquam animalium natiarum captatores, exploduntur, qui arte, & ingenio arceffere res abhorrentes ad caput non fuum moliantur. Hominis enim triplex cum fit officium, quod & Deo, & civibus fuis, & fibi debeat, unde ex focialitate jura, quæ homini cum Deo fuit, exculpont? an ex moribus, & confuetudine omnium? illud ergo, quod eft præcipuum, ac fummum, fubjungent inferioribus? non ergo Deum fui honoris cauffa, fed ut moribus ferviant, colent? ergo fi inter barbaros fuit, aut Atheos, non colent? tum quid fibi ipsis debeant, quo iudicio focialitatis difcent? quod fi foli fuerint, quodnam tum erit Jus naturæ? deinde peccata duntaxat interna quid obfunt focialitati? age vero, quod fi coalefcere in focietatem homines noliffent, an fublatum tunc fcilicet naturæ Jus fuiffet? an vero fingulis faltem eft neceffarium coire focietatem? quid faciant, qui folitariam Eliæ exemplo in feceffu vitam agere inftituerunt? intelligere videor, quid ræfponfuri fuit. Exeat, dicent. Nefas enim habent Deo fe quemquam confecrare, ne cœlibes quidem fceleris abfolvunt, ut Wolfus ex eodem Jure naturali, concludit; erroris, & ignorantie reum, putofacturus Divum Paulum, qui virgines probaffet.

*Sed minime ad omnia in primis adverfus Deum, deinde ad verfus fe ipfam.*

Sed ne jam in errores hominum delabamur, cum adhuc non nifi de Doctrina exiftimare nobis in animo fuerit. Dicant nobis, an omnia prorfus officia etiam adverfus cives fuos ex focialitatis principio cognofci, explicarique poffint, cum aliqua Jure naturali interdifta effe

*imo nec ad verfus Civem, & Remp.*

(a) Inft. Jurisprud. div. L. 1. c. 4. n. 64.

esse constat; quæ socialitati profecto nihil officiant; nonnulla vero videantur potius reip. humanæ plus etiam commodi adferre. Oedipi incestus quid Græciæ rebus detrimenti attulit? si ex sola societate perpendi res debuit, quid ita lamentatur apud Sophoclem (b) idem heros, & facinus non nisi orbitate oculorum sibi putat expiandum? Tyrannum autem sævissimum, aut reginam sterilem e medio tollere, nonne interesse publicæ rei sæpe videatur? quod utrumque tamen Jure naturæ nefas esse quis nescit? Non igitur in omnia convenit ab hoc principio repetita doctrina, non in ipsa, quæ reip. navare necdum in ea, quæ sive sibi ipsi, sive Deo oporteat.

*Etiam hoc Principio abutuntur Heterodoxi,*

At ubi cum hominibus res est maxime lubricis, & tortuosis, ne illa quidem, quæ sola consideratione aberrare videantur, concedenda sunt: cum omnis in disputando benignitas apud eos, qui studiose, & naviter pravi sunt, fraudi esse soleat. Itaque si ingenii duntaxat agitandi causa hæc tractarent, adspernaremur rem scilicet, nec quam apte excogitata sint omnia, quaereremus. Sed cum Heterodoxi hæc ab Academiæ spatiiis etiam in forum, & consuetudinem traducant, non est sane quidquam dissimulandum, quod in doctrina minus integrum videatur. Nec enim illi cum socialitati, omnis jusque adversus Deum, & seipsum officii, principem dant locum: hoc duntaxat Hypothesis suæ poliendæ, & venditandæ causa faciunt, sed reapse, quæ negligentius in Doctrina tractant, ea in consuetudine quoque in postremis habent, ne dicam penitus extrudunt.

*Illud ad usum transferendo,*

Nil ibi per ludam simulabitur, omnia fiunt  
Ad verum. (c)

*sanguam si solam sufficeret.*

Nonne enim Hobbesum habemus, qui hoc ipsum profiteatur, præter ea, quæ homo homini debeat, aliud in Jure naturali nihil constituendum esse. At enim quid est tam proprium Juri, quam suum cuique tribuere? itaque cum homini non major cum civibus suis, quam secum ipso, & cum Deo necessitudo sit; quis, nisi emotæ mentis dubitet, Jus Deo juxta, ac homini ipsi ad certa officia exigenda esse quaesitum? quæ igitur illa Jurisprudencia, quæ non modo in his, quæ majora sunt ceteris, legentes jejunitate destituit, sed & prælaris mereri de natura sibi videtur, quia ita efferat, ac prosequatur reip. huma-

(b) Hei, hei, jam tota res manifesta est.

O lux te jam extremum aspicio!

Qui natus sum, ex quibus me non oportuit, & cum quibus Non oportuit, habito.

In OEdipo Tyrann. v. 1193. & seqq.

(c) Juvenal. Sat. VI. vers. 225, & 226.

humane commoda, ut divina, & privata in postremis, & pro derelicto haberi necesse sit.

Sed in ipsa rep. quo tandem modo tuentur hanc suam humanitatem? nam & hic invenere captionem, quo sui principii salubritatem corrumperent. Sic enim volunt ad Socialitatis normam vitam dirigi humanam debere, ut ad exteriora duntaxat officia hoc principium adhibeatur. Sic enim Thomasius: (d) *Sicut forum humanum circa interna Imo cor- non est sollicitum, ita Jus quoque nature magnam partem circa formandas ho- minum actiones solum exteriores versatur.* Weberus autem Puffendorffii in- terpres, ac Laternarius, magistri sui mentem, atque sententiam ita duntaxat illustrat, ut etiam longe ante ire contendat. Actiones enim internas, id referen- uti quæ ad religionem naturalem cum internam, tum externam Deo do, exhibendam respiciunt, tum & intermissiones, item impia de Deo senfa, & execrationes intra animum etiamnum retentas, & hujus- modi præcisissime negat ad Jurisprudentiam naturalem attinere, sed Theologiæ morali, ac Ethicæ Philosophiæ transcribenda esse decer- nit, subditque, *internam rectitudinem potius supponi ex Ethicis, juxta illud: ubi definit Ethicus, incipit Idus.* Eodem ore Fleischerum, & Wolfium, pluresque alios heterodoxi generis doctores loqui audias, qui in re- movendis a Jure naturali internis mirifice elaborant, Deo vero tanto facilius cavent, nequid tribuere debeant, quo est illi cum hac socia- litate humana minor conjunctio.

*internis  
exclasis;*

Non prætermittendum hoc loco idem, quod aliquanto postea disceptabitur; sed hic illud duntaxat commemorabo, quo animadver- so sub unum veluti obtutum omnis Heterodoxorum molitio veniat, imo exter- totaque fraudum series simul perspici queat: iidem enim, qui nis quoque in rep. regi duntaxat externa Jure naturali debere ex illo Socialita- adversus tis principio inepte quidem conficiunt, iidem alibi Deo, & re- DEUM. ligioni etiam exteriora subtrahunt. Ex quo palam fieri debet, quæ officils, in omnibus eorum sententiis abdite sint insidiæ, quam versute legen- tes circumducant, & quid minutis damnis, carpendoque in omnibus aliquid, denique in omnem statum corruptelæ importent.

Sed eximamus hominibus errorem tam spissum, & ab omni ab- horrentem naturæ, ut nec illud quidem videre fatis queam, qui po- tuerit eis in mentem venire interna juri naturali detrahere, & in ex- terioribus duntaxat totam disciplinam occupare. quod adeo miror, ut nisi hominum verba ipsa fidem facerent, in hac eos sententiâ fuisse nun-

(d) In Prefat. de offic. hom. §. 8. & 9.

Haecque tollant rationem actus humani, nunquam esse crediturus. Quid enim tam est perspicuum, ac luculentum, quam interna etiam hominis adversus Deum, cives suos, seque ipsum officia ad Juris naturalis doctrinam praecipuo quodam, ac necessario modo pertinere, & ad omnem honestatem ita primario requiri, ut his se junctis neque Jus porro naturae, nec honestas ulla, neque omnino aliquid jam humanum supersit. Aut quo pacto recte institui illa ipsa possunt exteriora, & quomodo regi, si nihil sit, quod regat? cum externa officia non nisi ab interiori imperio queant profuere, nec omnino bonitatis quidquam aut honestatis contineant, nisi quantum communicatione cum internis participant? quod si vero ista tollas, nescio, homine jam nobis, an machina potius, & automata relinquatur, quod ipsum, qui possit moveri sine interiore quadam vi, quis intelligit? quale igitur illud Jus naturae, quo nec externa quidem munera humano more, voluntarie, ac cogitato, propositoque sine explicari queant? etenim ut actio ulla laude digna, & humana sit, non Philosophia duntaxat, sed ipsa ne rudibus quidem tam obscura ratio docet, ab interno, cogitato, liberoque eam proficisci debere. Quam gloriosa igitur potest illa esse Juris naturae disciplina, quae navis tam turpibus, & conspicuis deformatur? quinam vero Thrasones illi, qui supersedere se jactant posse declaratione interioris officii? quis enim instituere discipulum sine doctrina potuit? quis doctrinam exponere, nisi internis uteretur iis facultatibus, quae ad efficiendum cuique rei praesse debent? Id vero quanto magis in iis, quibus omnis honestas, aut malitia ex ipso animo existit? de his enim ipsa prima veritas nos monuit: (e) *Ex abundantia cordis os loquitur, & (f) de corde enim exeunt cogitationes malae, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiae.* Consequitur, in eo maximam adhibendam esse culturam, unde malorum omnium fons manarit.

Fontem omnium externorum,

Illa praecipua officia, quae aperte cuique ratio dicat.

Verum perinde, ac ista sequiora, etiam honesta, & virtute praedita animum habere debent moderatorem. etenim vel ipsa sana ratio nullis etiam adjuncta legibus ac disciplinis, uti docet, non esse impie de summo, ac maximo bono sentiendum, nec, quae aliena sint, appetenda: ita & illi auctori, a quo profecta sint omnia, honorem esse habendum, admonet: atqui vel ista quoque, etiam intra animum duntaxat versantur; quis non videt, aut adversari naturam, aut cum ea consentire; mala igitur esse, aut contra bona: praecipitur igitur, aut prohiberi. Quod si tam verum, ut etiam sit luculentum: quis non

(e) Matth. 12. v. 34.

(f) Ibid. 15. v. 19.

non videt, nihilo magis hanc a Juris Nat. disciplina removeri posse, quam ipsa exteriora, cum utraque perinde humani officii, Jurisque naturalis hæ partes sint, regere, & coercere, quidquid ab homine debeat.

At causabuntur fortasse (sic enim suspicor, ne usque adeo vi- *Occurritur*  
deantur aliena loqui) causabuntur, non se Juri naturali numeros *essugis.*  
suos eripuisse, neque interna ab eo removisse, sed Theologiæ dun-  
taxat naturali ea commisisse, ne jam ibi quæsitæ sæpius retractaren-  
tur. Sic equidem causam suam haud paulo facerent meliorem, si  
modo sic tueri eam possent; nam alibi transactis recte quidem uti-  
mur ad contrahenda ea, quæ iterum inciderint. Sed hoc ipsum num  
illi faciunt? num ex fundamentis alibi jactis, brevissimeque conclu-  
sis aut interna illa ducunt, aut exteriora indidem repetunt? numquid  
faciunt minus? num admonent saltem, quid ad integritatem  
spectet officii? num non absolutos se ab omni tamen parte glo-  
riantur, etsi omiserint ea, quæ nusquam plenius tractantur? quid  
Theologiæ suæ naturali superstruunt? nonne cum lucem inde hau-  
serint, intersistunt, nec ad id, quod faciendum sit, porro progrediun-  
tur? tum vero quid ista Theologiæ sive morali, sive naturali trans-  
scribunt, cum multo majori nomine ad Juris naturalis disciplinam  
spectent? non sunt enim illa ipsa, quæ dixi, capita, *non esse impie*  
*de Deo sentiendum* &c. ex arte quadam, aut scientia multo labore eru-  
ta, sed in ipsa naturali Jurisprudentiâ ita defixa, ut vel rudissimum  
quemque fugere non possint. Nec sane illa a scientia secerni possunt,  
sine quibus eadem jam non ita tota est, ut saltem quæ præcipua sunt,  
retineat. Videant igitur, quomodo committere aliis possint, quæ ma-  
xime sint sua, cum externa officia ne haberi quidem pro humanis  
possent, nisi interna conjungantur; quippe quæ non provenirent  
voluntatis naturali lumine rectæ imperio, proin ne ad naturale qui-  
dem promerendum præmium essent omnino apta.

Tum vero cum dicunt, non nisi foro externo Jus naturale præ-  
esse, interna nihil attingere, imo ipsa scelera animo occultata ne  
adversari quidem naturali huic disciplinæ, profecto aut fallere ea in  
re conantur, aut amplius quiddam habent sibi propositum, nec tam  
aliis ex disciplinis ista repetere, sed plane omnino interna seclusa vi-  
dentur velle; nam cur ea in re Jus naturæ cum humanis legibus  
positivis comparant, nisi quod idem volunt utrique commune; ut,  
quemadmodum hominum scita nihil de internis decernunt, nihil ad  
animum attinent, nisi quod necesse est, ut externa suis numeris sint  
absoluta; sic & de lege naturæ eis differendum videatur? sed hoc

*Thomasi  
inepta com-  
paratio Ju-  
ris Nat.  
cum foro  
externo!*

D

ipsum

ipsum quam parum docte ! in scitis enim humanis cum nequeat de animo iudex cognoscere, supervacaneum foret ea prohibere, quæ sentire, ne dicam plectere, non possit. At ille, qui Jus summum, atque omnium commune naturæ in hominum mentibus descripsit, externa neque scit duntaxat, neque nihil aliud sciscit? sed cum illa etiam mente abdita videt, tum eadem quoque aut præcepta esse vult, aut interdicta.

Ad hæc, cum Jus naturale fundamentum sit legum ceterarum, ad quod diriguntur illæ omnes, & quod rursus ad illis obtemperandum dirigit, patet, nisi lex naturalis perinde interna sit, atque externa esse facile noscitur, nihil esse, in quo sit aliqua vis dirigendi res externas ne in humanis quidem scitis. Ut enim his obtemperandum sit, cogit Jus ipsum naturale, cum docet, legitime imperanti parendum esse. Atqui hoc vel maxime internum est. Nunquam ergo ab hæc disciplina sejungi interna possunt, ne tum quidem, cum externa duntaxat præcipiuntur.

*Relp. in commoda.*

Aut quo illi jam pacto aut tempore suam instituent, si nihil internum esse debet? quid erit Regis honor, aut quæ auctoritas, sanctitasque senatus, si possunt isti omnes contemni animo, aut turpissima de eorundem vita existimari? quis jam civis aut affinium gratulatione delectari, aut confirmari approbatione, aut deliniri officiis poterit, si eisdem, qui ista verbis deferunt, voluntate licet alienis, & hostibus esse? quis omnino vitam sibi in humana societate sic secundam putare? quid demum Juris naturæ consulti isti a Græcis illis discrepant Philosophis, quorum hodie in aperto sunt errores. Nam & isti res duntaxat externas, ac fluxas naturali Jurisprudentiæ putabant esse propositas, eoque nisi hominis officia debere, ut, quoad vixerit, bene habeat. Quod Epicurus in bonis corporis, & fortunæ, Zeno in bonis animi nec iis tamen stabilibus, & perpetuis, Aristoteles autem in utrisque esse querendum existimaverunt.

*Idem Socialitatis Principium magis etiam depravatum, invocando a statu presenti*

Error autem tam enorsus, qui non ex Rep. duntaxat jucunditatem, & fiduciam, imo & stabilitatem tollit, sed ne humanum quidem quidquam relinquit, quo pertineat, quasque habeat infidas, satis liquido cognosci nondum poterit, nisi altera quoque adjuncta corruptela, quæ in eo maxime continetur, quod soli duntaxat contemplationi rerum peregrinarum dediti ad statum præsentem Jurisprudentiæ naturalem non accommodant. Hæc enim omnia ad avocandos animos, & longius a naturæ officio removendos videntur inventa, ut longius recedat legentium cogitatio ab ea Rep., in qua hunc vivunt sub Regibus, & Principibus inter leges positivas tum huma-

humanae, tum divinae: ac proinde, ut, quid nunc in usu ipso re-  
 ctum, ac verum, quid contra pravum, ac injustum sit, aliunde ne-  
 cesse sit accipere. Etenim cum omnes artes aliter ab iis tractantur,  
 qui eas ad usum transferunt, aliter, qui ipsarum artium tractatu  
 delectati nihil in vita aliud sunt acturi: sequitur, illas Heterodoxorum  
 lucubrationes plerasque ad usum nihil adferre: quod quidem eorum  
 nonnulli cum Wolfio etiam monent, ac consentunt.

Moneant sane, ac fateantur, quoniam tamen modo poterunt ex  
 hac molestia evadere, ut non sibi ipsis adversentur? cum enim eorum  
 plerique doceant, Juris naturalis in quovis naturae statu semper eadem  
 esse praecipua, ac privilegia, & quia obnoxia non sint mutationi, nul-  
 lis etiam positivis sive divinis, sive humanis legibus arctius adstringi,  
 aut laxari usquam posse: quis igitur aliunde discat, si eadem ubique  
 est ratio? si ea, quae honeste permitti in statu quodam commentitio  
 possent; quia, quibusdam positis, perniciofa tum non forent: per-  
 missa semper esse oporteret, etiam cum perniciofa sunt, aliis  
 rebus additis, aliis detractis: quid erit necesse ad res praes-  
 entes aliam adhibere Juris Nat. normam, cum eadem utrin-  
 que sit? imo qui poterit alia praescribi regula temporum nostrorum,  
 quam aut veterum, aut eorum, quae nunquam fuerunt: si non mo-  
 do lex mutari non possit, quod & ipsi accurate defendimus, sed ne  
 in rebus quidem fieri queat, ut, quod affectum aliter, atque aliter  
 est, idem etiam jam propensius, jam deterius fiat, jam consentiat  
 cum naturali Jurisprudencia, cum sic affectum nunquam abhorruerit;  
 jam abhorreat, cum ita comparatum nunquam consenserit. Sed si  
 abutuntur his verbis, ut nihil est tortuosius proclivius; si ut legem,  
 ita & res fixas esse volunt, quid igitur alio consultum mittunt Juris-  
 prudentiae naturalis discipulos, & clientes suos, quos negant aliud  
 edoceri posse, quam ipsi jam dixerint, rebus in omni statu eadem  
 prorsus ratione comparatis? hem igitur, quot ubique captiones, hem  
 egregium, quod Reip. dant, munus commentationum suarum: dum  
 enim tueri hanc se maxime, repetito inde principio, profitentur;  
 quid agunt aliud, nisi ut leges positivae in Rep. nihil possint omnino,  
 quia lex naturae mutari non queat?

*ad statum  
 imaginari-  
 um, ad-  
 dita Legis  
 Nat. im-  
 mutabili-  
 tate.*

Abiint haec etiam tam enormia, nonne satis perniciosum videri  
 debet, in eam opinionem saltem incautos inducere, ut, dum non  
 nisi peregrina de rebus audiunt, res etiam diversas parum distinguant,  
 quia principiorum, quae plurimum dilatantur, eadem videtur ad res  
 plures habitas; eamque proin vitae sibi putent instituendam ratio-  
 nem, acsi nullis legibus Regum ac Principum, nullis Magistratibus

*quod multis  
 saltem inf-  
 diosum.*



sive sacris, sive profanis, nullis demum majorum suorum institutis in presenti uterentur. Et vero unde illa, quæ hodie est, loquendi, & sentiendi perturbatio originem traxit, nisi ex ipsa Doctrinarum inter se dissidentium, aut longius a vulgari ratione recedentium congerie: in qua vix quisquam tam doctus est, qui omnia, quo loco, qua opportunitate, in quæ tempora, & contra quos, quæ circumscriptio, quam item vere, quam probabiliter, quam apposite ad rem quæque dicantur, possit, aut soleat distinguere. Eo fit, ut jam ab Heterodoxis sumta jactent, jam sua interjiciant, & male inter se conciliatis omnibus nec oratio sibi ipsi, nec animus sententiis constet; nam dum explicare sibi, de quibus dubitant, nesciunt, nec varietates perspiciunt, ad omnia effutienda, objectanda, & allatrandæ ipsis rerum non satis perceptarum dissensionibus urgentur: quandoquidem ipsa distinctionis ignoratio detrahit verecundiam, ut inepte aliquid obtrudere non pudeat. At ex iisdem, qui tantum animi, aut stomachi verius in criminando, ac redarguendo præ se ferunt, tanquam si altiore omnia animo contuerentur, si quæras, quid ipsimet igitur sentiant, nihil habere se firmum, quod ipsi putent, secum recognoscent: itaque eo demum rerum varietas, & indigesta moles homines adducit, ut, cum nihil uspiam habeant constitutum, præter superbiam, & acrimoniam doctrinæ nihil consequantur, religionis contra plurimum (utinam ne totam) deperdant.

Quodsi in ceteris tam facile contingat, ac plane usuvenire videmus, quanto in iis magis sententiis, quæ ab omni usu rerum abductæ in exilissimum modum extenuantur, & in scientia jam ad incitas lineas redacta cogitandi acumine, & insidiosa subtilitate etiam longius in avia, & devia quæque proferuntur. Quæ mihi quidem nec nomen retinere Jurispr. naturalis videntur. Quid enim est hæc, nisi *scientia præctice directiva morum secundum rectam rationem*? quæ igitur scientia ab usu ita remota sit, ut statum dirigat non nisi *possibilem*, in quo homines sine lege ulla positiva, sine Judice, sine Superiore, sine redemptore viverent, hancne Jurisprudentiam dicemus, cum nihil *præcticum* habeat, legemque ipsam positivam cum *jure naturali connexam*, ac coherentem tollat, projiciatque? at hi sane, qui tam comice in re tam gravi nugantur, hi divina & humana non miscent? hi in Magistratum auctoritatem, & sacra Principum Jura non fraudes nefarias moliuntur? hæc autem ubi eripiuntur, quæ esse porro resp. poterit?

Certe quidem alienum a Juris Nat. disciplina, non tantum prorsus inutile

Quid jam attinet dicere, quam nullius frugi hæc sint? etenim vel ii, quorum studia, vitæque omnis in nuda rerum cognitione versantur,

tantur, tamen & ipsi suam prudentiam, intelligentiamque ad aliquam debent utilitatem conferre: nam si id, quod tantopere discendum fuit, cum perfectum fuerit, prorsus demique neque ad usum trahi quemquam, neque principium aliquod suppeditare aliis disciplinis queat, imo, si ex ipsa, quæ in usu sunt posita, per cuniculos evertant potius, convellantque, tum sane exterminanda sunt potius ex humanis rebus, quam in Academia etiam inter eruditos unquam vel commemoranda. Quod quidem a Tullio jam videtur animadversum, dum de usu a scientiis nunquam sejungendo aliqua præfatus, sic rationem suam concludit: (g) *Itaque nisi ea virtus, quæ constat ex hominibus tuendis, id est, ex societate generis humani, attingat rerum cognitionem, solivaga cognitio, & jejuna videatur.*

Sed concludamus & nos ista demum, & utramque illam corruptelam extra dimicationem arbitremur. Dum ita a communi omnium persuasione Jureconsulti hi abeunt, & internis remotis in ipsis externis nubes quasdam altissimas, & inania captant, quis non intelligit, infidias eos in hoc ipso tendere veritati, & aliud quid occultum machinari, quia in rem notissimam hæc tam procul arcessita, nec ad legitimum sententiam quidquam attinentia introducant? nam per ambages, & occultos meatus querere, quod publicum est, & omnibus in promptu positum, non est id vel naturæ satisfacere suæ, vel simplicitatem sequi. est enim natura in obscuris metuens, timida in adfertiendo, cum ea deprehendit indicia, quibus error utatur sapius, quam veritas. At non levissima profecto ea est falsi nota, si res ipsa aliquid præ se ferat alienum, & longinquum; ad rem non pertinens, nec coherens cum integritate; insolens quoque & nimis extenuatum, aut ductum ab re longe diversa, & nunquam cognita ad statum & præsentem, & doctis juxta indoctisque familiarissime notum; nec ductum ad hunc stabiliendum & confirmandum, sed commutandum; nec ad concludenda ex certis incerta, sed ex incertis regenda ea, quæ sunt certissima. Hæc qui amant, qui captant, qui comminiscuntur, eos facile sentimus nescio quid perversum agitare, nec sincero studio in rem ingredi, sed ambiguis & infirmis captionibus veritati negotium facessere. Non enim quo aliud suspicarentur, aut metuerent, sed ne ingrata illa suscipere debeant, quæ cunctis in aperto sunt, omnia perplexiora consectantur.

Estne autem hoc ipsum hominis, & rationis, tam studiose ingenio colligere errorem? aut quid hoc aliud, quam ut fallasis, operam dare.

(g) Lib. I. de Offic. c. 44.

dare, cum falli te scias? quis autem, per Superos! non miretur, viros tales, tam cordatos, tam limato iudicio; qui se falli in re quaqua nolint, nec sinant; qui nihil possunt nisi incorruptum eudire, & elegans; infantatam vero in litteris, in sermone, in scientiis abhorreant, & quasi armis persequantur; quibus denique in omni re, publica, ac rerum humanarum usu, si summa omnia consequi, & magno esse animo concupiscunt, nihil carius esse jucundiusque debet sincera, explorataque recti & veri cognitione: hos, inquam, quis satis miretur non eandem sibi beatitudinem expetere in vita doctrina, & naturalis officii norma capeffenda: imo defugere tam levi simulatione suam illam exoptatissimam veritatem, & errorem quibusdam delinimentis sibi molliorem efficere, eo duntaxat, ne quid sit, quod eos, cum minime vellent, posset coercere? sed bellum facere videtur aliis, cum sit illud potius a nobis defendendum: quamquam nec istud, quod nunc dicam, plus habebit discriminis, quam ut ridèri debeat, & dimicari sine ullo stomacho possit. Rem omnem paucis habete.

Qui detractis internis officiis, Remp. quamdam quasi in mundo Platonico sibi finxere, aliud quidem revera nihil agunt, nisi ut leges omnes tollant positivas cum Dei, tum hominum. Sed apertius id profiteri non audent: timent turbam; timent Principum, longas manus; timent etiam doctorum hominum in tali causa conflictus. Itaque tectius rem gerere oportuit. Cum nequeant vim omnem impetiri, & magistratus ex terrarum orbe depellere, satis habent exleges

*eadem circumscripti-  
one legum  
Civilium  
vim elu-  
dunt,*

subditos facere: sic, ut, imperantibus externa duntaxat, obtemperandum sit metu potentiae: qui ubi abest, resque celari possit, quidlibet facere, ut in statu naturae putae, cuius licet. Itaque tantumdem ferme consequuntur enervatis, quantum sublatis legibus.

Sed regimen Ecclesiasticum, quod etiam internis praest, tum multo est magis exosum libertatis cupidissimo cuique, tum, quia nullis armis, nullis satellitibus munitum est, multo minore periculo oppugnatur. Hoc igitur denique aperto Marte adoriuntur: clamant uno ore, maximis vocibus, *statum in statu monstrum esse*. Atque hoc demum effato plagam nobis putant maximam dedisse. Et conatus certe aliquid magnum dicendi, ut satis apparet, non defuit. Sed quid a se exprimerent, ubi materia negat facultatem? itaque qui tantum in nos irae collegerant, ut rupturi illa viderentur; hi ecce nobis argutiosam unam impingunt: *Status in statu quale monstrum!* tum ubi haec cum nisu quodam thraconico elocuti fuerint, circumspiciunt scilicet, an posse vitam, & spiritum ducamus.

*Canonica-  
rum vero  
aperte op-  
pugnant,*

At Rhetorici videntur. Viri boni! & hoc ipsum male; quando ex nihilo conficere nobis calumniam contamini. Nisi quid in re ipsa insit, frustra laborat ingenium ex omnibus rhetorum officinis, necdem ex levissima illa conjugatorum familia aliquid consciscere, quod mordeat. Vestri hi lusus multo facilius excutiantur a nobis, quam a vobis proferantur. Nimis enim laboriose excogitata credo, quia risum profus commovere non possunt. Non soletis alioqui delectari hoc acuminum genere: ne nunc quidem non sentire vos credo, quam frigidum sit; solo verborum contactu cordatos velle parcellere. Itaque quae sit eorum vis & sententia, videamus. Hoc scilicet dictum volebatis, adversari rectae rationi, ut in una eademque rep. aut regno, aut imperio, aut civitate etiam alius detur status civilis & profanus; alius sacer, qui non omnibus in rebus, perinde ut profani ordinis consortes omnes, ex divitiis nullissime pendent. Atque ita, religionem christianam non nisi collegium quoddam in statu civili existimandam esse.

*Adscita  
quodam  
argutiola;  
statum in  
statu esse  
monstrare*

Demittatis jam supercilium licet: quae enim sic extra argutiata disputantur, magnas enim modo controversias habent. Atque in primis repugnantiam; si viri vestis, quamnam ullam omni dialectica arte excuspetis? Atqui dudum elaborastis; nemini ut esse ignotum posset, siquid vobis suppeteret. Nec illud credo agre dabitis, statum sacerum esse in profano posse; si modo hic illi obtemperaret. Atque ita quidem utrumque cohaerere inter se posse facile patiamini. Est enim res publica universa quasi complexus quidam plures societates, ex quibus ipsa coalescit; una quadam ac communi ratione consociata, & inter sese devinciens. Et hoc pacto statum in statu esse, non magis repugnat, quam varias in rep. includi societates, ac collegia; quae, etsi maxime variis, separatisque utantur institutis, in quibus aliquid detractum, aut additum, aut coartatum sit; tamen aliquo foedere in unum genus cohaerunt. Sic ordinem militarem, etsi multa habeat ab aliis diversa, hostis adeo non abhorret a rep., ut eum in optimis praesidiis numeretis. Vestrum denique, quem dicitis ordinem sacerum in statu profano esse cui vestrum in mentem venit inficari? est enim resp. quasi omnium societatum societas, proin & sacri ordinis. Nulla igitur hic repugnantia. Ubi autem aliqua? in eo, dicitis, quod sacer ordo non est profano in suis causis obnoxius, propriamque regimenem a profano diversum habet: sic enim consequitur, ut idem status sit in altero & idem non sit. Ut sit; quia alitur in eo, et non numeratur: ut non sit; quia nihil ab eo pendet, nec proin ad hunc pertinet. Pertinet igitur & non pertinet. O praecelaram Dialecticam!

*Nec enim  
subest vera  
repugnancia  
sive in  
statu continente,  
qui capit  
partes;*

*Sive in  
tu conten-  
to, qui di-  
versas ra-  
tiones ha-  
bet,*

ubi enim agentia & negantia non sint eadem, quæ potest esse repugnantia? non sunt autem. Alitur enim & numeratur status sacer in profano, defenditur ab eodem, multas utilitates præbet, accipit vicissim plurimas, sed hæc omnia contaxat in ordine ad felicitatem temporariam & naturalem, qui sodus est statui profano finis propositus: pertinet igitur ad statum profanum, & profecto tantum, quantum Reip. interest. Idem autem non pertinet in alijs, quæ minime intersunt Reip., nempe in ordine ad salutem & felicitatem supernaturalem, quem finem humana, & naturalis societas non sequitur. Quid hic contrarie dictum? nonne eadem repugnantia conferri ac duci in utrumque hunc finem, imo & in utramque legem simillima conclusione posset, ut dicatis: repugnat finis in fine, lex in lege: enimvero repugnabit, si idem omnino sit, & non sit; aut si in contraria inter se ferant.

*Imo potius  
sacer profa-  
num sul-  
cit.*

At enim status sacer tantum abest, ut profanum conturbet, ut ad stabilitatem, felicitatemque etiam externam, ac temporariam plurimum adferat præsidii: etenim cum ille ad continendos in officio homines addat etiam religionem, quæ quantum in subditos vim habeat, vel superstitioni illi Romani, Græcique memiserunt: patet utrumque hunc statum ipsa conjunctione ac societate fieri firmiorem. Quid jam illæ mihi obrudent: duo sic in una civitate oriri summa imperia, quæ eo ipso simul consistere non queant, quia pugnantia inter se civium officia inde consequantur? quo enim pacto inter se pugnabunt officia, si ne imperia quidem in eodem sint genere, nec alterum fines ingrediatur alterius? hæc vero causam postquam ipse Divinissimus fori interioris, & sacri regiminis auctor & institutor Christus tam aperte disceptavit, eadem ipsa stabilitate distinctione, Reddite, quæ sunt Cesaris, Cesari, & quæ sunt Dei, Deo: (h). Quis porro tam ineptus sit, ut sacri ordinis societate vitæ civilis compagem solvi, aut publicam interurbani tranquillitatem censeatur, si modo ultra limites nemo progrediatur suos, & utriusque status idem sit modus imperandi, qui est imperii? Tranquillitas euentum tum demum amissa est, cum aut ambitiosi assentatores, & imperiti Juris naturæ consulti Principibus Christianis stimulos subiciebant ad arrogandum sibi, usurpandamque potestatem, quam profana Reip. administratoribus nullo nomine a Christo esse traditam dudum nostri Doctores demonstrarunt: aut cum sediciosi aut refractarii homines rerum novarum studio, disciplinæ impatientia, libidinum aestu furentes, & perciti factiones illas exitiosissimas consciverunt, quæ hodieque Europam tenent, ut ipsi non raro heterode-

*Causa  
amissa  
Tranquilli-  
tatis*

(h) Matth. 22.

xi sedato animo ingemiscere auditi sint, Fuitne operæ, majores nostras tantam secessionem exorsos esse, ut etiam nunc non conveniat nobis cum iis, quibuscum quoad illi fuerunt, pace fruebantur? Quid est in ista contemplatione, quod non res ipsa loquitur? profecto enim quanto satius nobis foret, esse concordibus, & quo minus simus, quid nisi per majores stetit? Quid enim facti discidii in nos amolimini causam, quia tacere non possimus? num enim tacere, & ad male audiendum os præbere nostrum est? aut cum a communi sacrorum consortione se olim Donati factio abrupisset, silere scilicet orthodoxos, hos cedere, hos transire ad sectæ partes oportuit? aliter convenire res non potuit? habemus igitur tranquillitatis publicæ amissæ culpa penam, quos respiciat. At cum in eadem collidendi inter se utriusque status rationes conjurasse veluti heterodoxi Juris nat. Consulti videantur, intelligimus nempe, num ad tranquillitatem publicæ rei eorum doctrina possit spectare.

Nec vero pacem auctoritatis sacre diminutione tunc recuperandam, ut majores purgare suos queant, qui jurgii causas intulerunt: nam nobis quidem tranquillior nulla ætas fuit, quam cum a Caroli Magni temporibus Principes profani elegantissime in auctoritate summi Antistitis, summi Antistites in ornandis, colendisque Principibus tam seduli ac gratiosi fuerunt, ut quæ tum sunt nobis prodita humanitatis exempla, eis heterodoxi etiam ad oppugnandos nos abutantur. Ita tum ex utriusque status concordia res auctæ, ac florentissimæ fuere. At ea, quæ nunc est vitæ consuetudinibus, sacrorum, opinionum, voluntatumque integris in regnis dissensio, eane prius audita Germaniæ nostræ fuit, quam *autonomica*, libertas illa cum Luthero, aliisque sectarum auctoribus pestilentissimo fidere in orbem eruperit.

Sed est hoc nobis perpetuum, nimis benigne agere cum eis, quos tam manifestis vestigiis compertos, neque nostris duntaxat argumentis, sed factorum suos testimoniis oppressos tenere nunquam non possumus: his impune esse quod fecerint, ne ad pudorem quidem refricari eis pessimæ causæ memoriam, sepeliri omnia oblivione, dissimulari per bonam gratiam, nullamque in quæstionem vocata, aut discussa severius diffluere scilicet patimur, nec quid in eos, qui rebellionem subditi esse non desinunt, valeamus, nec quam eisdem acerbos semper habuerimus, cogitamus.

Etenim ii, qui non modo pessime, penitusque oderunt nos ipsi,

*Principium  
Socialista-*

quod

*tis, quod  
Catholicis  
adstrin-  
gunt,*

*Atheis  
monstrose  
laxant He-  
terodoxi,*

*Et per suam  
Jurispru-  
dentiam  
Naturalem*

quod sibi necessarium putant, verum etiam ad vexandos nos omnem suam compararunt naturalem Jurisprudentiam; si tamen quantam in Atheis ferendis facilitatem suam significant? non enim eis turbes tantam suas perfugio, aures audiendis execrationibus, praela etiam edendis commendant; nobis jucundissimum duntaxat cum eis vitæ usum habent, nec solum libris in suis, aut in eorum vitæ historia eximium in impios homines amorem declarant, impietatemque etiam legentibus si non amicum, at certe minus invisam reddere conantur: verum etiam ad defendendos eos, tuendosque illud ipsum, quo maxime condemnantur, jus naturale adhibere non reformidant.

Hobbesius quidem quasi poenituisse hominem, Atheis imprudentiæ notam inuisse (nam *injustitiæ* reos facere nimium videbatur) ut hæc ipsa, quam tulerat, eos ferme rursus aut eximeret, aut levaret saltem; negat Atheis esse per jus naturæ non licere; causam interferens, naturæ legem non nisi ad voluntatem cogendam valere; intelligentiam vero, in qua error Atheorum versatur, nulli naturæ legi esse obnoxiam. Sed ne ex Anglia usque, evocasse hæc monstra videamur, hem in Germania quoque Puffendorffii enucleator Kemmerichius quam egregie concinat: cujus, ne res incredibilis apud honestati aduetos fidem fortasse non habeat, ipsa adscribenda sunt verba. is autem (i) sic omnino habet: *Ceterum hoc affirmaverim, poenitentis Atheum, quamdiu tranquille vixit, juste haud affici, etsi notorius sit, quoniam Atheismus speculativus est error intellectus. Errores vero intellectus legibus et poenis, corrigi nequeunt.* Hæc ille, quæ alii saltem in utramque disputant partem.

Adeone igitur tam detestando etiam sceleri patrocinium invenere ii, qui ibi incipiunt, ubi theologia naturalis desinit? Redemptorem igitur amantissimum impurissimo toties ore incestari, medium impostorum in numero citari, infestis signari vultibus patiuntur? hæc quotidie æquis auribus, oculisque usurpant ii, qui redemptoris a nobis minus honorati causa se descivisse gloriantur? propensiores igitur sunt in Atheos, quam in illos, qui ob solam religionis integritatem in odium venerunt? adeone socialitatis humanæ ratio movere non potuit, ut cum tot populis, cumque tanta recte sentientium multitudine congruerent: sed ut cum paucis, si compares, Atheis amicitiam colerent, hottari visa est? Quæ illa vera religio, cui melius cum professa impietate convenit, quam cum sacrorum antiquissimis possessoribus? aut quam longe abesse ea potest ab impietate,

quæ

—————  
Lxxxv

(i) C. 4. n. 57. f. n. 70.

quæ non modo non respuit, ut impium, sed fovet etiam, ac in gremium recipit, ut suum, quod alii ejecerunt.

Hæcne in eorum secta proferri posse non pudet, esto, non ple- rosque, esto ne plurimos quidem? at, vix ullos ex omnibus vere- cundari? Nulline igitur Heterodoxis viri integri, quibus plane per- suaso sit aliqua saltem religio, aut si nulla, quibus certe ipsa natura- lis de Deo persuasio necdum excussa sit? quodsi vero Deum esse non dubitant, nonne perinde sacrilegam ei ab impiis inferri injuriam in- telligunt? Hæc si norunt, cur nefanda hæc commentaria & commenta cum suis auctoribus impune versari in luce, circumferri manibus, emi, vendi, jactari, commendari ab suis adeo doctoribus patiuntur? non- ne vel hoc ipsum rursus a naturali jurisprudentia longissime abhor- ret? Cur hæc tolerant Christiani, cum Plato Ethnicus hanc contra temerarios de Religione & divino cultu scriptores hanc (k) tulerit sententiam: *In correctionis carcerem non minus quam quinquennium perman- suos. Judex conjiciat. - - Quodsi rursus impietatis crimine condemnabuntur, morte plebuntur.* Idem (l) Græcis suis Homeri, Hesiodi, & similium (qui soli tum morum exstabant scriptores) lectione interdixit, eo duntaxat, quod indigne canere de Deo viderentur.

*Somma Ju- ris Naturæ Capita evertunt.*

Solis nempe Christianis juris naturæ iuterpretibus sentire de Deo quidlibet impune ac fas erit? At non fuit in Poloniæ Regno Petro Lyschzinio tranquilla alioqui vita homini, qui Petricoviz circa ann. 1701. de generalium Regni judiciorum sententia publicis flammis vivus exustus est, unici illius Pentametri causa, quod obstinata malitia in lucem evulgaverat:

Numina nomina sunt, vera chymera Deus.

Næ hunc Atheum ultrici pyræ eripuisset Kemmerichius, si instu- rasset Magistratibus errorem duntaxat intellectus esse, hominem ceteroqui tranquille vixisse. At hanc rationem, scilicet a magistro egregio accepit ipso Luthero, qui & suos recentes, & Joannis Hussii errores eadem tessera tuebatur: *Errores intellectus legibus & pœnis corri- pi nequeant.* Quid igitur de Jure naturali disputamus, quando in eo ipso, quantum quantum est, nihil invenias, quod non aliquo erro- re intellectus æquum & fas fieri queat?

At nempe ferax insolentium & inconditarum opinionum, & ejus- dem generis hominum Anglia, ut Africa monstrorum, ita nostros etiam populares incantavit, ut, cum jam ne Atheus quidem horro- ri esset, quantam comparanda eorum defensione subirent invidiam,

E 2

pensi

(k) Lib. 10. de Leg.

(l) L. 2. de Republ.



penſi non haberent. Tantumne igitur in animos vitæ ſocietas, & conſuetudo poteſt? atque iſta cum tantam vim in heterodoxos habeat, ut eosdem in Atheos commutet, nonne eandem habebit illa in noſtros, ut in hæreticos abeant? aut num ſperandum, poſſe iſtos manifeſtis erroribus deterreri, ut intra limites ſe aliquos contineant? cum illos ne ipſa quidem naturæ maxime infeſtæ rei enormitas impietati reddere alienos potuerit? Et vero quid fit? qui non affricantur errores? quam cito orthodoxus dilabatur animus, quibus heterodoxi auctores aut ſtupori ſunt, aut in deliciis, quia nullas negant. Etenim cum ceteras ſocietatis humanæ peſtes in illorum iuris naturalis doctrinâ hætenus cognovimus, tum hanc quoque præcipuam notamus, quod omnem libidini copiam faciunt, quaſi ea lege:

*Eas denique Socialitatis tu-enderationes eligunt, quas maxime Jus Nat. damnat,*

*Et hanc veniam petimusque damusque viciffim. (m)*  
Sic enim cum Veſthufio, Guilielmo, Grotio, (n) & aliis diſſerit Thomafius: (o) *Meris rationibus naturalibus demonſtrari haud poteſt, omnem ſcortationem, etiam ad beſtialitatem qua pertinet; aut concubinatam; aut lenocinium eſſe prohibitum; quod vero jure naturæ cautum non ſit, id lege divina fieri deterius non poſſe ex iis, qua alibi dicunt, conſicitur. Nihil igitur ſcortatorem moratur niſi unus aureus, in Heterodoxorum Athæneis ne ille quidem. O Epicuri de grege porcos! adeone tam litterata ætate, tam diluta ratione, tam claris rebus ob- brutefcere homines, ut iſta vendere hominibus auſint? Jamne & Duces ipſi quaſi virgula quadam Circe perſtricti abire in haram, & cubare cum ſociis juſſi ſunt, nec Ulyſſes eſt ullus tam ſapiens, qui aut gladium ſtringere ipſe audeat, aut reditum ſociis poſſit perſuadere (p)?*

*Et ipſa Socialitas,*

*Itane, O Bruta a ſcortando non deterret jus naturæ? non ratio? non ipſa illa ſocialitas? non alieni corporis contumelia? non liberum infamia? non promiſcua libido? non rite exhibendæ prolis difficultas? non affinitatum pericula? non ipſius demum rei detrimenta? Hæc vobis Chriſtianiſ tam liquida videri non poterunt? ſed Ethnicis potue-*

(m) Horat. in Arte Poët. v. 11.

(n) De Princip. J. Nat. c. 4. n. 7.

(o) Inſt. Jurisprud. Divin. l. 3. c. 2. a n. 143. & c. 3. a n. 71.

(p) Homeri, Odyſſæ l. 10. v. 239. & ſeqq. ubi mutatis in porcos ſociis Circe Ulyſſen quoque virgula feriens, quaſi jam incantatum in hæc verba a ſe dimittit: *abi nunc in haram cum aliis cuba ſociis.* At ille præmunitus, gladio diſtricto veneficam compulſit, ut ſocios ſe formæ reſtituturam promitteret. Conſer omnino Joann. Baptiſtæ Gelli, Academici Florentini, opusculum: *La Circe*, ſive Dialogi ro., in quibus Ulyſſes ſocios quosdam in belluas tranſmutatos, ut redire humanam in formam velint, fruſtra ſollicitat. Prodiit ea commentatio ex Italico in Latinum converſa a Joanne Wolfio Ambergæ 1609. in 2a.

potuerunt. Ut enim ea præteream, quæ a nostris Theologiæ moralis doctoribus perspicue disputantur de injuria, quæ ad ipsam sobolem, aut ad parentem pertinet, & ne cunctos enumerem etiam veteres, qui ferme omnibus libris libidinem in perpetuum notant & infectantur, (q) unum hic testimonii causa laudabo Sallustium; qui etsi nec integerrimæ ipsemet vitæ nec continentissimo homini persuadere conaretur, refrenandas in Rep. maxime libidines esse, quantam tamen naturalis ipsa lex & conscientia vim ad redarguenda hæc vitia etiam *Atque eti-* in corruptissimis habeat, vel ipsa scribendi ac notandi ista periticia de- *am Reip.* clarat. Coercendæ autem juventutis hanc (r) ferme ob causam *Cæ-* ratio. sari auctor est, si tanta sit morum licentia, fore scilicet, *ut ex ali-* nis malis deterrimi mortales ventri atque profunda libidini sunt querent: & paulo post sua tempora gravissime accusans, sic pergit: *Quoniam* is incessit mos, ut homines adolescentuli, sua atque aliena consumere, nihil libidini, atque aliis rogantibus denegare pulcherrimum putent; eam virtutem, & magnitudinem animi, pudorem atque modestiam pro socordia estimant. Ergo animus ferocis prava via ingressus, ubi consueta non suppetunt, fertur accensus in socios modo, modo in cives: movet composita & res novas veteribus acquirit. Neque vero hoc unum numerari in reip. detrimentis debet, rem familiarem suam hac licentia confringi, alienam malis artibus quæri: illud certe etiam majus est, quales reip. parari viros necesse sit, quod idem ille morum censor sic perstringit: Porro ii, quibus nullam noctem sine scorto esse mos est; ubi animum, quem dominari decebat, servitio oppressere, nequaquam eo postea bebeti atque elando pro exercitio uti volunt: nam impudentia pleraque & se precipitant.

Hæc Ethnicus: commordeant licet dentibus labra etiam ex nostris illi, qui invitis hæc auribus accipiunt. Negent se ratione naturali comprehendere potuisse, quod tam est obvium, ut ne alienos quidem a veris sacris scriptores fugerent. Quanto satius ipsis foret Ethnicorum discipulos, quam heterodoxorum fuisse, ne commutata omnium ferme orthodoxorum oratione ac sententia argutari & ipsi hac in re auderent. Eo denique ab iis veniatur, necesse est, qui omnem cum heterodoxis rationem habent, ut in nullius erroris partem & ipsi non veniant; ut ne a feterrimis quidem, ac manifestis abhorreant, ut sputa demum ipsa hæreticorum, quod in adulatoribus esse extremum solet, lingant, & inaurant.

E 3

Igi.

(q) Ut Cicero in Paradox. & finib. Seneca trag. 9. act. 2. & de Vita beata. Aristoteles Ethic. 3. cap. 11.

(r) In priore ad C. J. Cæsarem Oratione de ordinanda rep.

*Igitur &  
hoc Princi-  
pium, prout  
ab Hetero-  
doxis tra-  
ctatur, us-  
que quaque  
laborat.*

Igitur hanc alteram quoque explicandi Juris naturalis rationem perpendenti ac recogitanti mihi nihil occurrit profecto, quod delectare doctè litteratum hominem, nihil quod erudire veritatis cupidum, nihil quod dirigere sanum, & non mala mente præditum, queat. Unde igitur sonitus illi, quibus aures celebrantur identidem nostræ: aut quis plaudere istis queat, nisi qui improbitati optime cupiat? quamquam ne hæc quidem satis speciose & probabiliter venditur: ut enim demonstratum est, in illo socialitatis principio laborat integritas, oppugnatur callide Principum auctoritas, legum cum divinarum tum humanarum vis enervatur, colliduntur status, seruntur discordiæ ipsa omnium sectarum, & omnis impietatis toleratio, ne, non aliena, non propria pudicitia a stupris, non resp. a licentia, ac ruina adeo defenditur, ut jam opportune hæc cum Tullio colligere possim: (s) *Omnes tenduntur insidiæ, vel ab iis, quos modo enumeravi, qui teneros & rudes cum acceperunt, insciant & flectunt, ut volunt; vel ab ea, quæ penitus in omni sensu implicata insidet, imitatrix boni, voluptas, malorum autem mater omnium.*

**Part III.**

Reliquum est unum modo genus eorum, qui Juris naturalis stirpem ab ipso Deo, eamque verissime repetant: siqui modo in Heterodoxis sint; qui repetant: nam in tanta Heterodoxorum multitudine præter paucissimos, nec maximi nominis plerique omnes in alia omnia abeunt, & ii vero, qui hanc sequuntur rationem, non modo nihil excogitarunt, quo hujus principii jucundior explicatio solutiorque efficeretur, sed plerique in eo duntaxat ingenia exercere, ut quoddam quasi spoliolum inde detraherent. Itaque non nisi brevis cum eis esse nobis dimicatio, nec illa alia debet, atque ut nostris hoc genus excolentibus caveamus, nequid per insidias ab improbis extorqueatur.

*Principium  
repetendi  
ab ipso Deo  
Juris na-  
turalis*

Atque ut ordine hæc omnis explicetur disputatio, exponere ipsam in primis nostrorum sententiam visum est, cujus quidem initia quædam ac fundamenta nec illis olim revelationis expertibus antiquis videntur fuisse incognita. Ita enim Platonis sectator Cicero (t) *Est igitur, quoniam nihil est ratione melius, eaque & in homine, & in Deo; prima homini cum Deo rationis societas. Inter quos autem ratio, inter eosdem etiam recta ratio communis est. Quæ cum sit lex; lege quoque consociati homines cum Deo putandi sumus. Inter quos porro est communio legis, inter*

eos

(s) Lib. I. de Leg. cap. XIV.

(t) L. 1. de Leg. cap. V.

eos communio Juris est. Et idem: (u) *Quam ob rem lex vera, atque princeps apta ad jubendum, & ad vetandum, ratio est recta summi Jovis. Summi nimirum Dei, quem Jovem vocat. Probanda hæc quidem, ut in Ethnico. At multo altiori a capite rem ordiuntur nostrorum quidam, qui doctrinam suam sic ferme expolierunt:*

*diligenter  
expolitum  
a Catholi-  
cis*

Rerum omnium auctor, inquit, fabricatorque optimus & sapientissimus cum nobis optimo profecto voluit, fecitque; tum optimus tamen, & sapientissimus esse non poterat, nisi suimet honores causa id omne operis moliretur. Cum enim unus esset optimus, idem optimi munus & decus erat, omnia sibi tribuere, ad se referre, se ipsum vehementissime amare. Hoc ille suæ debebat bonitati, & hoc ipso, quod optimus erat, nihil quod sumum esset, ab illo abesse potuit, aut jam ipse non erat, nec qui amaret, nec qui amandus esset. Non igitur illi aliam procreandi hominis habere illecebram potuit, nisi se ipsum. Hunc autem hominem cum ratione & libertate præditum, memorem, sagacem, providum terris omnibus, fortunisque amplissimis præfecit; spectaculis pulcherrimis oblectavit, beatissimeque vitæ degendæ compotem fecit: non potuit aliud intueri, nisi ut ea omnia, quæ ab se profecta essent, ex officio suo in suammet gloriam redundarent: quem finem cum destituere successu non posset, eadem igitur necessitate hominem instruxit, obstrinxitque, solum quippe aptum, ex quo pulcherrimos illos, & voluntarios honoris sui fructus perciperet. Obstringebatur igitur florentissimus homo ea ipsa re, cujus causa lucis, & suimet usum acceperat: quod quidem & illi optimum erat, cum nec ipse auctor optimus melius quidquam haberet; nec homo ad summi boni cupiditatem comparatus minori posset acquiescere. Deum igitur solum ultimum esse hominis finem & beatitudinem oportuit: cujus tamen possessio mortalitati huic non alia ferme conveniebat, nisi quæ in cognitione & amore esset. Is autem si necessarius finis, necesse item fuit, quæ ab hoc fine alienarent, prohibere, quæ cum eo maxime conjuncta essent, præcipere. Cum igitur finis ille Dei sit sua gloria, quæ est clara cum laude suarum perfectionum notitia; finis autem hominis Dei possessio, quæ earundem perfectionum cognitione, & amore continetur, sequitur, ut ea vetanda fuerint, quæ cum his perfectionibus, earumque prosecutione non congruerent, jubenda verò, quæ necessaria erant, ut illarum claritudo in hominis vita, ac moribus resplenderet. Ad utrumque autem & ad vetandum & ad jubendum sua Deum natu-

(u) L. 2. de iisd. cap. IV. ad fin.

natura ipsamet, bonitatis necessitate adduxit. Origo igitur legis ultima, atque princeps ab ipsis Dei perfectionibus arcessenda est.

Hæc tam alte ab ipsa natura ducta ratio etsi in plerisque etiam humanis rebus tam est luculenta, ut inde conjici porro de occultioribus queat: tamen ut in omnibus, quæ dubia sint, perspicui eadem possit, necesse non est; non modo quia suppetunt aliæ cognoscendi naturalis officii notæ, atque insignia; verum etiam, quia ipsa, quam diximus, origo altior est, quam ut nos humi strati, quæ Deum singulis in rebus commovere debuerint, intelligamus. En Catholici ingenii partum, quem cum omnibus Heterodoxorum facis atque deliramentis conferre queas. Quamquam non sumus tam appetentes gloriæ, neque tam arrogantes nos facere eorum ostentationes potuerit, ut hujus doctrinæ primum inventæ nobis adsciscere gloriam laboremus, cum eadem jam passim aut in SS. PP. monumentis, aut in Scriptorum nostrorum commentariis sparsa non nisi operam requirerent colligentis: ut jam nos, qui avitis potissimum gloriemur, facile patiamur Aquilonis filios pro novis venditare, quæ longe aliena, & manu eorum potius, quam ingenio sunt parta. Isti enim, puto, est quod jactent, se jus naturæ orbem ac derelictum omnium primos excolendum suscepisse: isti processus ea in re suos commemorent, qui ne in illa quidem, quæ jam extabant optima inciderrunt. Sed tamen quodsi ipsas porro descriptiones & hypotheses inter se contendamus, etsi non eorum imitemur morem, qui, cum rem ab aliis acceptam in aliam formam, figuramque transfuderint, se auctores ferunt: tamen vel Philosophis arbitris non adeo ineptire fortasse videremur, si præ heterodoxis commentatoribus ea in re nobis placeremus. Quæ enim in eorum systematis aut parum integra, aut contorta: aut tenuia, aut laboriosa, aut etiam mendosa sunt, ea

Quanto rectius hic, qui nil molitur inepte. (w)

Nam ita a primo fonte progressa descriptio, sine offensione & incursu, sine diverticulis & ambagibus, sine insidiis tendit in directum, ut ea maxime tollat, conspicuaque reddat, quæ in jure naturali pro laudatissimis & præcipuis officiis omnes boni, sapientesque semper habuerunt. Præterea facile ubivis illabitur: quo quisque probior, tanto ei accommodatior est: eximie surrigit animam, attingetque arctissime ad auctorem suum. Nec mihi tamen hic animus ire per singula,

(w) Horat. in Arte poet. v. 140.

gula, in qua hanc rationem, & cum Deo necessitudinem propagare nostri consueverunt, cum ea passim esse sparsa monuerim. (x)

Sed illud quasi prætereundo animadvertere juvat, quanta in excelsendis rebus, quæ ad Deum pertinent, omnibus socordia inertiaque Heterodoxi sint, qui siquando ad illa curam, ac animum transferunt, omnis eos subito nervus, gratia, & vis animi naturalis deficere videatur, quasi ingratis se moliri omnia, & offensum potius habere, quem colere vellent, intelligerent. Itaque negligunt ista ferme, nec ullam ad ea operam adferunt; sed cum pro suis anticulis aliqua a nostris descriperunt, tum ferme porro nil fatagunt, quo enim jejuna cationes illæ, quo omnis demum commentatio, nisi ad ingenii voluptatem, cum nusquam ad aliquid magni operis exhortantur, nec modo officii se non admoneant, sed illis delinimentis abutantur etiam ad pellicendas versute animulas, ne quid sibi quo frui non debeant, putent prætermittendum, dicantque etiam tum, cum præter modum in illecebris volutantur, se a Deo oblectari, quasi id ipsum ei minime gratum ignorarent. Ignorant autem, cum ne Ethnicos quidem res fefellerit? e quibus sic Tullius noster: (y) *Casse habet lex adire ad Deos, animo videlicet, in quo sunt omnia, nec tollit castimoniam corporis: sed hoc oportet intelligi, cum multum animas corpori præstet, observeturque, ut casto corpore adentur, multo esse in animis id servandum magis.*

*Sed ferme prorsus neglectum ab Heterodoxis;*

Quamquam quid opus profanis testimoniis, cum eorum pluri-  
mi cum Philippo Melanchthone Lutheri discipulo, Hemmingio (z) & Boecklero, hisque Decalogum pro ultimo, integroque cognoscendi naturalis officii principio habeant, nec aliam legem esse cordibus inscriptam dicant, nisi quæ ibi sit expressa. Itaque Sabbatho duntaxat excepto, quidquid ibi præterea legimus consignatum, id totum Juris esse naturalis; nec quidquam aliud porro huc attinere. Hem quantam explicandi difficillimi negotii commoditatem homines isti invenerint: nam decem illa capita cum non difficulter memoria retinentur, tum aliqua disertis saltém verbis non prohibent, quæ illi maxime vetita nollent. Sed enim fatemur, nos quidem decalogum, quem etiam Christus ratum voluit, non tam legis positivæ, quam naturalis

*Coartatum ad solam decalogum,*

F

(x) Confer huc locum illustrem S. Augustini Lib. Conf. 2. c. 6. ubi ex eodem ferme principio deducit, qua ratione pleraque vitia cum divinis quibusdam pugnent perfectionibus.

(y) L. 2. de Leg. cap. 10.

(z) In typo J. N.

*naturalis declarate rationem habere. Negamus tamen omnino, legem illam animis inditam ac rationis officio promulgatam aliud non esse, nisi decalogum. Secus jam si quis tum inter exteras gentes natus nihil unquam de Judæis ipsis, nedum eorum legibus, aut fando, aut legendo accepisset, eum etiam lege naturali vacasse oportuerit. Quod male sane cum S. Pauli verbis consentit: (aa) Gentes, quæ legem non habent (scriptam nempe, aut divino arbitrio libere sancitam) naturaliter ea, quæ legis (naturalis) sunt, faciunt: ejusmodi legem (positivam) non habentes, ipsi sibi sunt lex; qui ostendunt opus legis (naturalis) scriptum in cordibus suis, testimonium illis reddente conscientia ipsorum. Non igitur leges illæ duabus tabulis genti hebraicæ perlatae solæ Jus omne naturæ continebant; sed & alia in ipsa natura erat insita homines regendi ratio.*

Sed more hoc scilicet suo Heterodoxi faciunt, ut cum rem etiam optimam arripuerit, ea illis defendentibus fiat deterior: modum enim habere nesciunt: aut decerpunt atque diminuunt; aut contra nimium exaggerant. Habet igitur summam declarationis, ut diximus, auctoritatem decalogus; imo & præcipua, quæ in hominum vita versantur, Juris naturæ capita in eodem sic exponuntur, ut nihil esse possit expressius. Sed non omnia tamen præsertim, quorum natura admonet, officia in infima quavis specie ibi enumerantur. Tum vero ubi dubitatio incidit aliqua, quid ad quodvis caput referendum sit, unde de ipsius decalogi sententiâ disceptabitur? Sed non instandum est his, qui inter ceteros etiamnum honestissime ineptiunt.

*Denique penitus ab iisdem eversum, tum interpretando, Nat. Leges esse mera consilia.*

De illis quid dicamus, qui tum hæc olim lata, tum ipsam, quam ratio nos edocet, naturæ legem negant in præceptis, sed in consiliis tantum volunt esse habenda. Talis quidem Fleischerus (bb) bellissimus Juris Consultus, qui non nisi *mera consilia, paternas admonitiones*, ac benignos nutus, neutiquam veras leges ulla in præceptis naturalibusprehendere sibi est visus. Sed multo etiam festivius causa ipsa, quam subjungit, contexta est; ratio enim, inquit, sibi soli relicta nullum in Deo nomen agnoscit aut *Legislatoris*, aut *Domini*, sed *Patris* duntaxat, ac *Dōctoris* &c. Estne igitur satis certum, Heterodoxos in omni, quodcunque attigerint, principii genere alios occultius, apertius alios id demum unice satagere, ut sive infidiis,

(aa) Rom 2. v. 12.

(bb) In Paradoxis, quibus Institutiones J. N. & G. ex Thomaso illustravit, l. 1. cap. 5.

Idiis, five professa impudentia, omnibus plane legibus proteritis, fues duntaxat exores stabiliant ac commendent? Aut quid omni sua naturali Jurisprudencia aliud moliantur, nisi ne omnino jus ullum naturale sit? Huc spectat illud nomen rationis, huc illud nescio cujus socialitatis, huc denique & istud Patria nomen: ubique illi captivam quandam, ubique latebram sibi reperere.

Sed quod hoc loco caussantur quam crassum est totum, omnis redundant delirio. Qui enim in mentem venit homini illi rationem nobis redigere in memoriam: cum omnibus penitissimo sensu cognitum, perceptumque sit, rationem huic ipsi, quod illum afferere non pudet, gravissime refragari? Quod si hoc est in cognoscendo naturae Jure rationem sequi, intelligimus igitur, quam veteratorie abuti hoc principio impudentissimus quisque possit. Quid autem? Legislatoris in Deo auctoritatem nemo cognoscit? quid rudius? nonne flagitiosissimi etiam, & potentissimi, qui inter homines, quem vereantur, non habent, tamen ubi se gravi crimine quodam, etiam occultissimo, etiam nemine praeterea conscio, obstrinxerunt: anguntur tacito cruciatus, ad omne periculum expallescent, interiorem denique laetitiae sensum capere nullum possunt? quid hos adeo conscientia lancinant, si nemo Dominus, nemo Legislator est?

Jam vero quis adeo mente captus est, ut blasphemiam, furtum, adulterium, & hujusmodi naturae sua intrinsicus turpia dicat non esse cuiquam vetita, sed consilium duntaxat homini dari, quasi sic cum eo ageret Deus: Equidem manu missus es a me, & tui juris, nec ulla mihi in te porro auctoritas. Itaque cum tuus ipse sis Dominus, obsecro, horror, & bene consulo, ut ne execrationes, & impias in me voces profundas: quamquam, ut verum fatear, cum summe veridicus sim, nec impius esse tu possis, cum pietatem mihi non des beas. Sed benignitatis erit hoc tuae nulla me contumelia provocare. Quod si tamen feceris, mihi ferendum, tibi flagitio esse non posse video. Quid Platonem illum, quem tam severum in Poetis fuisse supra demonstravimus, huic Jurisconsulto decreturum putamus fuisse, qui multo turpius de Deo nugetur, quam poetarum quisquam fingere sit ausus? Quo igitur jam inferorum supplicia plane supervacanea, semper vacua, cum meris consiliis nemo fieri reus queat?

Sed prorsus iniquissimi Magistratus nostri, ac iudices, qui latrones, & fures, innocentissimos homines, ultimis suppliciis enecant;



*Et studiose  
errores cap-  
tando*

Quid enī admiserint miseri, nisi quod uti consilia nō dederunt, id autem si capitalibus pœnis est dignum, nā iudices ipsi, multo- que magis etiam magistratus dudum periclitantur. Nam igitur, quam crasse, quam stupide, quamque enormiter in rebus, quæ quotidie usurpantur, abierit hic homo, quæ in scribendo nulla alia, nisi impudentia sua videtur confusus; ut plures quidem, quibus pro argu- mento est quilibet firmiter tenere. Compara hos cum antiquis illis, nā pigebit te hujus temporis, quo tam insulsa, & incondi- ta rerum figmenta gustum tamen facere quibusdam potuerunt. Antiquos enim sæpe lapsos videmus; sic tamen ut humana ratio aut assequi rem sola, & nostris adiumentis defecta non potueris, aut ali- qua veri specie decepta, probabilem saltem quendam horrorem com- plexa sit; at hodie, qui maxime alucinantur, errorem ipsi dedita ope- ra colligunt, & perspicuis in rebus sine ulla ingenii laude abortus turpissimos erantur: ut ex ipsa jam commentī figura intelligas, homines non iudicio lapsos, sed libertati, & licentiæ duntaxat im- minere; adeo non obscure malam mentem ubique profitentur.

Quæ qui cogitat, aut etiam sentit, (non sunt enim talia, quæ ab homine virtute prædito non etiam veluti gustu quodam cognosci possint) quanto eum de Orthodoxorum rebus melius existimare ne- cesse est! quippe ubi plana videas omnia, simplicia, minime fucata, accommodata rudibus, ut tamen etiam doctissimis jucunda; nihil denique, in quo non incorrupta reluceat integritas. Quis ita res Di- vinas exornavit? quis diligentius excoluit? quis magis fartas, tectas- que conservavit? Quid igitur sano homini, & æqui studio omnia expendenti officiorum momenta non debeant hæc ita probari, ut, quibus bene cupiat, eos his moribus malit vivere, quam aliis? Con- tra ea quam turpiter divina omnia apud heterodoxos squalent, ac languescunt!

*tum negan-  
do obliga-  
tionem na-  
turalem  
compara-  
de cogni-  
tionis Dei,*

Et quid mirum? illud quod nobis antiquissimum est, hominem ratione præditum suam illam præclaram intelligentiam ad sui Auctoris cognitionem conferre oportere, cujus rei causa in mundum scilicet datus est, heterodoxis epianum sub iudice versatur disceptandum. Etenim cum huiusmodi incidunt controversiæ, in quibus maxime pe- riclitari hominis cum Deo necessitudo videatur, illi caperata fron- te, quia objici sibi inexplicabilia vident, quæ parum norint, ac ege- rint, nodum abrumpere scilicet volunt, & quod ipsi metuunt, in theotiam amoliantur speculativam; ut res, demum tota contemplatio-

si relicta ad factum equidem cedat nunquam. Itaque controversiam secundum eos plerumque dant, qui negant ad hominis officium ista pertinere. Hobbesius profecto (cc) ingenue scilicet fateri non dubitat; diu se, magnoque studio commentatum: ut exculpere aliquid legis ex omni natura posset, quo Athei injustitiz damnarentur: nec reperisse. Nec ferme Hobbesio saniores Puffendorffius, Wolfius, Kemmerichius, Thomafius. Sed hic quidem palinodiam demum cecinit in secundis curis (dd) iisque, quæ Deo debentur, officiis ultimum saltem in Jure Naturali locum deinceps tribuendum decrevit.

At vero cum negant; hominis esse, ad auctoris sui cognitionem, & fidem tam præstantis intelligentiz facultatibus uti, iidem & illud proinde non dant, credi de hoc auctore naturaliter quidquam debere: imo & negant posse: fidem enim, seu persuasionem, ut loquuntur, etiam in iis, quæ naturam habent ducem, semper esse *supernaturalem* existimant oportere. Ita dum militari veluti licentia omnia divina exspoliant, officia, iidem tam simplices tamen sunt, ut, suum illum Lutherum, cum caelo asserunt majore quidem superum contumelia, quam si Claudium Cæsarem illum (ee) ibi reponerent, tum vero persuasionem, illam sibi divinitus datam esse non dubitent, cum naturalis utique nulla sufficeret. Quæ manifestiora esse sentiendi libido possit, quam ineptissimo fungo summa mentis officia tribuere, quæ Deo O. M. juris ergo non concesseris? Sed licentia aliquando non pudenter sumpta facile deinceps qualibet trahitur: quique interna Deo detraxerint, non habent, quod vereantur, quin etiam in externis errandis eandem vecordiam exerceant, utrinque enim aliud non faciunt, nisi ut proterve insaniant, itaque ubi frontem aliquando posuere, nihil eis esse solet etiam in ceteris negotii.

Atque ea quidem in re maximam Heterodoxis inter se consensus est: externum Dei cultum nihil ad Justitiam attingere Naturalem, conclamant. Ita Thomafius (ff) & Thomafii in Puffendorffium commentaria secutus Engelbrechtus Dunze (gg), itemque post alios Kemmerichius. Sic autem Thomafius: *Ratio sibi soli relicta nihil deprehendit respectu Dei, unde inferat, eum externe coli velle.* Sed si unum

Cultumque  
externum,

F 3

O-

(cc) In Element. de Cive cap. 14. §. 19.

(dd) Fundam. Jur. Nat. & Gent. lib. 2. c. 1.

(ee) de quo legi meretur Seneca Apocolocyntosis.

(ff) in Jurisprud. Divin. l. 2. c. 1.

(gg) Disput. 4. ad finem Jurisprud. Thomafianæ.

omnia contra tela profanorum hominum producere Sanctissimam, Clarissimamque Catholicæ Academicæ Heroëm, Thomam Aquinatem, experiemur profecto, quid inter salubrem, sanamque, & contra futilem, ac temerariam intersit doctrinam. Ille autem, ut omnes jam inde antiquitus nostri, cultum etiam exteruum omnino retinendum, gravissime, ut solet, contendit: *non quidem* ( utor enim S. Doctoris verbis (hh) ) *ut ei qui est inspector cordium nostros conceptus manifestemus: sed ut nos ipsos, & alios ad ejus reverentiam inducamus: & ideo necessaria est laus oris, non quidem propter Deum; sed propter ipsum laudantem, cujus affectus excitatur ad Deum ex laude ipsius.*

Quid si jam ego, qui hæc a S. Doctore accepta pulchre vendere debeam, quid si ego cum illis cultus externi depeculatoribus paulo familiarius agerem, sciscitarerque ex ejus generis quodam, possitne inficiari, qui exteriora ista negligant, eosdem etiam internis nihilo majorem plerumque operam dare, ut qui det, corvus albus putari queat? si deinde quærerem, quid consuesset ipse, qualisnam esset; quam vehementer ei concalesceret animus internis illis studiis, quæ nunquam ei foras erumpant, cum ceteras animi commotiones vix intra se teneat? tum consultarem, an externa illa exercitatio, ususque sensuum non etiam, ut in ceteris rebus, ad inflammandum animum plurimum referre videatur. Exquirerem porro, quid de Philosophis sentiat antiquis illis, quos multa de Deo scisse satis constat: quos negat S. Paulus satis prudentiæ Naturali fecisse (ii), *quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt.* Rogarem denique, verumne videatur, cum & animæ auctor, & corporis sit Deus, non de utriusque substantiæ facultatibus debitos cum fructus a nobis respicere. Sic inquam si cum homine agerem, permetteremque, ut secum ipse statueret, quid æquum, verumque videretur, non equidem dubito, quin profanitatis suæ cum aliquo doloris sensu recordaretur. Nam profecto non aliter res habet, nisi ut iidem, qui omnia ad interiorem revocant animum, ne ibi quidem locum aliquem relinquunt religioni.

imo & internum,

Nec id aperte profiteri puduit Fleischerum, cum (kk) afferit, ad cultum etiam *internum* nos obligari *ex regula justii esse absolum dicere, eoquod regulæ justii supponant lesionem*: Deum autem res creata nulla possit lædere. Quid mirum igitur, si amorem etiam benevolentiz, Jansenii exemplo, & quidquid præterea humani adversus Deum officii

(hh) 2, 2, Qu. 91. 2. 1.

(ii) ad Rom. 1. v. 21.

(kk) in Inst. J. N. & G. lib. 2. cap. 1. §. 49. l. m. 275.

cii est, e Naturali, Justitia funditus tollant? nam & his exemptis, nihil est Deo, ne lædatur, metuendum. Et ut rem aliquando in compendium conferam, Religionem prorsus omnem, cultumque Dei e *omnemque Religionem,* Jure naturali proscripsum, a focus etiam, ac aris projectum volunt.

Hæc demum post multas ambages vera, ac propria est heterodoxorum sententia: hem Puffendorffium, quem pedibus, manibusque cetesi prosequuntur, cujus hæc verba sunt (ll): *Cultus Dei per se consideratus ex altiore (supernaturali) principio est derivandus.* Jam autem multo etiam audacius alibi (mm): *Sane nec de religione, quatenus ad salutem animarum post hanc vitam facit, agere ad disciplinam Juris Naturalis pertinet: & religioni naturali peculiaris a me disciplina assignata fuit, solius nempe socialitatis; quod principium a nobis jam supra est ventilatum.*

Cognovistis, AA, heterodoxæ cohortis audaciam, & frontem, quæ nihil verecundatur, cervicem, quæ omni & rationi, & auctoritati præfracte obnititur, lacertos, quibus nihil tam sanctum, quod non involent, os demum ad omnia perneganda paratissimum. Quid possumus nisi hæc omnia mirari? fierine enim posse, ut homo ullus ista extorquere homini ausit, quæ in omnium hominum sunt insita natura, & ita insita, ut etiam sint evidentiæ? fierine, ut ad eripienda nobis ista rationes adhibeantur tam futiles, ut etiam e multis unusquisque illas objicienti ferire frontem possit? quid enim stupidius, quam Deo omnia negare officia, quia lædi non possit? quibus Anticyris hunc curabimus? quid si hominem fame sanandum putemus, an erit, quod lædi se conqueratur? at jus meum læditur, inquiet. Hem vervecem, qui non perinde Jus Divinum ab se funditus sublatum esse intelligeret?

Quid porro tam est in luce positum, quam omnium in Naturali Jurisprudencia primas esse partes illas, quas homo Auctori suo debeat? Cumque finis naturalis unicus sit hominis DEUS, quod fatentur, quid efferatius est, quid a ratione derelictius, quid desperatione plenius, quam disertis verbis effari, homini nihil cum DEO negotii, nihil necessitudinis, nihil adversus Eum observantiæ, nihil cultus, nihil amoris, nihil plane religionis esse oportere.

*ut nihil nisi mera superstitio impietas,*

Jam igitur cum istis truculentis contentio esse de veritate non potest: eminent altius errores, quam digito monstrari ut debeant. Sed (quis enim non videt?) sola immanitate rem gerunt, & enim-  
vero

(ll) in sua Erice Scandica, §. 6.  
(mm) in Spicilegio Juris Naturæ §. 16. l. m. 295.

vero vincunt. Vincant sane ! fortiores enim sunt, quam constringi ut possint, quos frenare ratio, honestas, pudor, natura ipsa, & humanitatis sensus, etsi hanc maxime jactent, non potest. At ne deinceps bellum nobis moveant Naturalis Jurisprudentiæ nomine, ne rationis vocem usurpent, ne philosophiam ullam attingant, ne aliud denique præ se ferant, quam sui arbitrii effrenatam libidinem, qua sola feroces esse, & naturam reluctantem licet, aliquot annos oppressam tenere si possunt, omnium tandem errorum ufucapio erit.

*Epilogus.*

Principiorum nunc omnia nobis excussa sunt genera, e quibus suam Naturalis Jurisprudentiæ disciplinam Heterodoxi excitare aut possunt, aut solent. Perlustrata sunt castra hostium, vires exploratæ, consilia detecta, pestes labesque præcipuæ suis notis inusta. Omnibus cognitis nec ratio, nec societas, nec religio illis competit. Quo enim pacto Jus Naturæ tueatur illa ratio, quæ cogere sive ad abstinendum, sive ad adgrediendum nutu suo neminem potest, eaque ipsa suis præsiidiis nudata; quæ licentiæ duntaxat cohonestandæ causa adsciscitur, nec nisi intra hujus tantum vitæ coarctatur fines, quæ ad brutam denique beatitatem quamdam accommodatur? Forma autem qualis Reipublicæ, quam instituunt? aut quid agunt aliud, nisi ut homines exleges vivant, expertesque magistratum, ut nulla ordinum sit discretio, sed jus cuique in quælibet, idque viribus cujusvis æquale, fas omne impiis; status contra ejusdem populi inter se in armis sint; libidines, ut inter pecora rata; ut solum denique regnum rationis, id est privati arbitrii constituatur, floreat, lasciviat. De DEi autem cultu quid dicam? aut quid potius non dicam? nihil est enim commemoratu obscœnius, quodque minus refricari debeat, quam illa, si vere loquimur, impietas eorum, quos Magnos Viros heterodoxi appellant. Cui igitur quod suum est, tribuit ista Jurisprudencia? an homini, quem ad pecora abjicit? an Reipub. cui imaginariam substituit; ut præsentem tollat? an DEo, cui nihil debet contendit.

*Reprimantur fastus insolentiam.*

Hocine illud tandem Naturæ Jus, quod quasi Filiolam suam exosculantur Heterodoxi? Nihilne elegantius ad suam cohonestandam defectionem excogitare ipsis duobus sæculis potuere? Hinc sint illi, qui Catholicos non nisi pro fungis, & talpis habeant? hinc, qui nos dicant ignorantiz cœno per caput & pedes defixos? Hem iidem nos scilicet crasso sub aëre nati, qui nihil didicimus, nihil sapimus, nihil observamus, nec omnino corde utimur, nos inquam illa eorum

glo-

gloriosa tam nullo negotio existimus, cognitæque in artibus diuina  
portare ventis. Quid sunt iam illa prodigia, nisi monstra, que  
humana intelligentia exhorrescat, optimus quisque animus averseat,  
ipsa impietas defendere, & sustinere non possit? Neque vero cau-  
sam suam ea re illi reddens meliorem, quod novis et, magisque etiam  
manifestis erroribus medicantur. Sed ita profecto sermonem nobis  
dant, ut cum discitis omnia etiam cetera laborare, & possum ir-  
dicamus; cum ne in natura quidem rectum; verumque retinere po-  
tuerint, de quo omnes possunt iudicare. Contra ea si commissa de-  
fectione sapere ceteroqui possent, ea saltem ex re plurimum apud  
omnes laudis adipiscerentur. At dum erroris erroribus cumulans,  
non ut priores defendant, sed ut novis additis major nobis molestia  
sit redarguendi; non modo id non consequuntur, quod volunt, sed  
ex his, que faculentiora sunt, etiam cetera configiendi novam nobis  
facultatem largiuntur.

*Moderatio  
etiam a ce-  
teris des-  
deratur*

Equidem non ad eos hæc videntur pertinere, quibus tam insul-  
sa, & improbe popularium suorum, minima probantur ineptiæ. Sed  
ne igitur jactent & ipsi suam tantopere Juris Naturæ prudentiam; ne  
Ienam & Lipsiam cardines solos dicant, in quibus litteratus orbis  
vertatur: adhibeant & nobis illam humanitatem, quam sibi tam ad-  
curate vindicant. Quæ illa vero humanitas, cum res ii nostras tan-  
tum quasi cubito ruunt, nec unquam nisi cum risu, fastidio, ludi-  
brioque explodunt. Qua quidem histrionia etsi multum consequantur  
apud imperitos, qui, si quem vident magna ferocia, audaciaque in  
res nostras, quasi mancupi essent, involare, & nullo eruditorum no-  
strorum metu dictaturam exercere, eum continuo Deum aliquem pu-  
tant: attamen

(Non, non hoc tibi, false, sic abibit (an)

Laus illa omnis, admiratioque a Doctioribus, & gravioris supercilii  
Viris nostris facile iterum ex æquo deteritur, tantoque etiam tur-  
pioribus thrasones illi inuruntur notia, quanto in res nostras plus  
ingenii sui lascivix indulserit.

Nostri vero illi rerum peregrinarum admiratores magis, quam  
gnari suarum illud sapiendi principium esse intelligant, quod Augu-  
stino nimis antea curioso, diuque frustra cum heterodoxis conflicta-  
to denique exitum e maxima perturbatione aliquem ostendit, ubi cum  
Fausto, Manichæorum primipilo disputare ingressus, illud præ oculis

*Covetia  
nostris.*

G

habuit

(22) Catullus Epigrammate XIV.

habuit (100); Nec eo debere videri aliquid verum dici, quia eloquenter dicatur; nec eo falsum, quia incompositum -- rursus nec ideo verum, quia impostitum enunciatur, nec ideo falsum, quia splendor sermo est, &c. Ne igitur dum quasi ex tripode rerum nostrarum Aristarchi declamantur, id summo jure dictum nostris videatur; hedera enim suspensa opus est hominibus, ut res suas vendibiles faciant; quas nisi ipsi mirarentur primi, quis alius magni putaret? nec quando nostri mirus idem faciunt, avita nostra, quia jam usitata, & quotidiana, adspernemur; cum omnibus publicis rebus semper id maxime salutis fuerit, constare prima simplicitati, res suas etiam clare levius domare, quam foris fieri, demum omnia antiquis potius, & suis, quam aut insolentibus, aut peregrinis opinionibus abstrahi. Dixi.

(100) Confessionum Lib. V, cap. 6, ubi, praequam hanc sententiam poneret, sic praefatur: *Me autem jam docueras, Deus meus, miris, & occultis modis; & propterea credo, quod tu me docueris, quoniam verum est, nec quisquam praeter te alius est doctor veri, ubicunque & undecunque clarabitur. Eum ergo ab his depellam, nec eo debere videri aliquid verum dici, &c.*

O. A. M. D. G.









Österreichische Nationalbibliothek



+Z207550608

Digitized by Google

